

www.e-rara.ch

Origines Palatinae

Freher, Marquard

Heidelbergae, 1686

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-45886>

Appendix quo haec continentur.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]


APPENDIX

QUO HÆC CONTINENTUR.

HUB. THOMÆ LEODII, quondam Friderico II. Palatino Electori à Consiliis & Secretis, de Palatinorum origine, & Heidelbergæ antiquitatibus, Commentatio antè L. plus minus annos elucubrata: ex ejus integrâ historiâ, de vitâ ejusdem Friderici, desumpta; & nunc demum ad autographum per Cl. V. Janum Julium Thomam Leodium, auctoris filium adhuc superstitem, recensita & emendata: nonnullis ad marginem additis, & passim restitutis per M. F.

Monumenta litterarum antiqua, quibus Leodius adjutus fuerat; De Cancore Comite pagi Rhenensis, Ansfrido Palatino; item de monte Abrinsberg, & sylva Otenwalt, è veteribus membranis summa curâ & fide exscripta, & toti operi illustrando edita per M. F.

De Heidelbergâ, & Manheimio, & vicino agro, Observatio Joh. Basilii Heroldi, è Libro *De stationib. legion. in veteri Germania*, cap. XII:



M D C X I I I.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,
DOMINI JOHANNI,
COMITI PALATINO RHENI, BO-
JARIÆ DUCI, COMITI VELDENTIÆ
ET SPANHEMII &c.

Domino suo clementissimo.

EXornandi res gentis vestræ primos conatus, & ab ejus primordiis dedu-
ctos, sub Serenissimi Principis nostro Septemviri auspiciis edere parans;
graviter mihi peccare visus sum, Princeps illustrissime, si non te simul in
aliquam ejus patrocinii partem vocarem. Quem cum omni liberalis do-
ctrine genere, in tam negotioso principatus munere, animum pascere vulgus su-
spicit, docti gaudent, Principes principem hoc nomine locum cedunt: tum præ-
fertim totam inclyti generis Palatini Historiam, à multis jam annis tanto studio
atque ad eò successu indagasse accepimus, ut si quo humana sagacitas pervenire
potest, tua penetraverit; nec quidquam in amplissimo illo campo tam sit abstru-
sum, reconditum, inexplicabile, quod non dudum repertum & evolutum animo
complectaris, non digitis tuis cognitius promptiusque habeas. Maçte hoc ani-
mo! quem generosissimo cuique (Alexandrum enim & Iulium quid replicem?)
natura in sevit, quem, si cum sapientibus verè rem æstimemus, majoris facia-
mus ipsa Fortuna, cujus tu beneficio tanti - - generis ramum millesime
ducis. Hæc verò (nostra ferè dixissem, quæ nos quidem sepulta eruimus, in-
visa in lucem protulimus, accessione nonnullâ auximus) ut æqui bonique con-
fas, Princeps clarissime, si pluribus rogem; non illud tantum, quod prædica-
bam, tuum studium, cui hæc visa prius necne, grata utique fore, & forte usui
etiam alicui persuademur; sed illam simul profectò humanitatem vel exteris no-
tam ignorare, aut mihi antehac coram compertæ oblitus videri possim. Cujus
laudis tuæ præconem, meæque observantiæ restem saltem esse, si hoc quidquid est
libelli benignè parieris; animum addes, ut alia hujus generis tantò plura, par-
tim nostra, partim nostrâ manu expolita & locupletata, illustrissima domui ve-
stræ, & per hanc Republicæ, tantoque ocÿus conferamus. Vale illustrissime
Princeps, & save. Heidelbergæ, Kal. Septemb. anno Gratia MDXCVI I I.

CELEST. T.

deditissimus

MARQUARDUS FREHERUS.



DE
PALATINORUM
ORIGINE

HUBERTI THOMÆ LEODII

Commentatio.

PALATINORUM COMITUM nomen ab iis sum-
 pisse initium, qui ex præclara aliqua familia orti, Palatium-
 que Principis Romani, id est, ejus regiam, & (ut nunc
 vocant) Aulam comitati sunt, originemque habere, nemo
 qui paulo vetustiores libros perlegerit, dubitare debet: vehe-
 menterque eos errare puto, qui ab uno Palatio vel Treverensi,
 vel illo quod est in medio Rheni apud Cubas, aut alio quopiam, Die Pfalz.
 nomenclaturam hanc Comites Palatinos adsecutos, persuade-
 re conantur. Verùm Principes Romani quum animadvert-
 rent Imperii inclinationem; & veteres illustrium virorum in
 provinciis familiæ, vel paupertate pressæ, vel quod conspice-
 rent honores & virtutis præmia ad se rarò, sed ad solos Roma-
 nos deferri, domi se continerent, neque Principem sequi, nisi
 coacti & inviti vellent: quapropter & Palatium desolabatur ho-
 minum frequentia, & periculum erat, ne spreti & derelicti do-
 mi præclarorum virorum filii in nomen Romanum aliquando
 conspirarent: quod sæpe factum facile doceri exemplis posse-
 mus. Hinc ergò prudentes Imperatores, ut huic malo mede-
 rentur, credibile est excogitasse & aperuisse provincialibus

Comes Palatii.

hanc viam, qua sibi iter ad honores, ad præmia & provincias regendas pateret, si se palatiumque comitarentur. Quod qui paullo diutius fecisset, Principique in expeditionibus comes fuisset, merebatur *Comes Palatii* appellari, hocque nomine honorari: cui & Princeps negotia sui Palatii, hoc est, (ut nunc ajunt) aulæ, & quæcunque per negotia non poterat ipse, expedienda & tractanda committebat: quibus si strenuè præfuisset, etiam provinciæ regendæ assignabatur, ut in multis Codicis Justiniani constitutionibus patet, veluti *De Palat. sacr. largit. L. prisco nunc ordine. lib. 12. C.*

Palatium.

Unde autem dicatur *Palatium*, etsi non magnopere desiderandum existimò, quia tamen de Friderico Principe Comite Palatino & ejus origine scribere mens est, apud veteres celebratam Palatii etymologiam non gravabor adscribere. Varro, *Quarta inquit regionis Palatium, quod Pallantes, qui cum Euandro venere, quietiam Palatini & Aborigines, ex agro Rheatino qui appellatur Palatium, ibi confederunt.* Aliqui verò à Pallante proavo Euandri Palatio nomen mansisse referunt secundum quos Virgilius ait:

*Arcades has oraas, genus à Palante profectum,
Qui Regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, & posuere in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Palantum.*

Unde & tum temporis procul dubio *Comites Palatini* cœpti appellari, ut ex Virgilio audis. Livius montem hunc à Palanteo urbe Arcadiæ *Palantium*, deinde *Palantium* appellatum tradit. Alii à Palatia Latini uxore. Alii quod Palante Hyperorei filia, quæ ex Hercule Latinum suscepit, hunc incoluerit. Alii à Palantia Euandri filia, ab Hercule viciata, & ibi sepulta. Alii à Palante, qui & ipse inibi sepultus. Eundem hunc locum à pecore multi dictum putant, quod pascens ibi balare consueverit. Tibullus:

*Sed tunc pascebant herbosa Palatia vacca,
Et stabant humiles in Jovis arce casa.*

Pro-

Propertius:

*Amphytrioniades qua tempestate juvencos.
Abstulit à stabulis ó Erythrea tuis,
Venit ad invicta pecorosa Palatia Roma,
Et posuit fessos fessus & ipse boves.*

Unde Nævius *Balaantium* nominavit, vel quod palare, id est errare solerent armenta. Cephalon autem Gergitius memoria prodidit, hominem quendam comitem Æneæ, occupato monte qui nunc *Palatinus* dicitur urbem condidisse, Romamque denominasse. Tremelius verò *Palatinum Romuleum* montem vocat, cum inquit: *Fuit ejus statua in pede montis Romulei ante sacram viam inter templum Faustinae ad arcum Fabianum.* Is mons hodie *Palatium majus* vocatur. In Palatini montis vertice (ut scribit Dionys.) Arcades qui cum Euandro venerant, Victoriæ templum erexerunt. Magna mater Idea ex Pessinunte oppido Phrygiæ advecta, in Palatio tam diu collocata fuit, donec ædes columnis pretiosis cum pavimenti diversorum colorum illi construeretur. Fuit & in Palatio fanum Febris. Æneas cum Ascanio templum Fidei, in Palatio à Græcis constituisse dicuntur. Quinetiam templum Jovis Victoris in Palatino monte fuisse volunt. Antoninus Heliogabalus Deum suum Heliogabalum in Palatino monte consecravit. Templum Apollinis in Palatino monte Augustus excitavit, in quo jam senior sæpe senatum habuit, & decurias judicum recognovit. Et in eo poetæ sua scripta reponebant. Unde Horatius:

Scripta Palatinus quæcunque reponit Apollo.

Livia quoque divo Augusto templum in Palatio erexit. Ciceronis domus in celeberrima parte Palatini montis propeque Palatium sita erat. Præterea ædes Deorum penatium, Romuli & Remi casa ex lignis & arundinibus structa, Catilinæ domus, item Marci Scauri, Marci Flacci, Viturbii & multorum aliorum in Palatino monte fuerunt. Qualis autem & quanta fuerit Palatii moles & pulchritudo, indicant statuae præcla-

præclarissimæ, pretiosissimæque columnæ in eo repertæ. Hodie autem tam præclarus mons seu collis, præter unam atque alteram domunculam, & ædem S. Andreæ, nullum habet ædificium, totus enim vinetis plenus, aut pascuus ager, non ovibus magis, quàm capellis & capris est relictus, ut verè *Balan-tium* nunc possit nominari, ut scribit Bartolomæus Marlianus in antiquæ Romæ topographia.

Hieronym.
Gevvryler.
in geneal.
Austr.

Quæ quidem libenter recensuimus, non ut ex Romano Palatio nostrorum Palatinorum nomen eruere conaremur, quemadmodum non incelebris vir quidam * Aufriacorum Principum ex Arca Noë & monte Aventino: sed tantum ut ostenderemus, unde Principum magnorum ædes *Palatii* nomen consecutæ sint, & Palatini nostri non ab aliquo particulari Palatio, (ut supra dixi) sed à Principis Romani Palatio quocunque locorum foret, verè appellari. Unde Imperator Constantinus lib. XI. C. tit. de Palatiis & domibus domin. ita scribit: *Consecratas nobis ades, id est, inclyta Palatia, ab omni privatorum usu & communi habitatione excipimus.* Est & lex Imperatorum Honorii & Arcadii *de Comitibus & archiatris sacri Palatii*, C. lib. XII. Item Zenonis, *de Com. qui provinc. reg. cod. lib.* appellantur *Comites prioris ordinis & vicarii.* Item de his intelligitur Titulus, *de officio comitis rerum privatar. sacri palatii.* ubi dicitur, *ad Palatinos curam omnium rerum Principis pertinere.* Magnam autem fuisse Palatinorum auctoritatem, dignitatem, & privilegia, ex legibus aliis colligitur, quas tulit Constantinus Imp. & Gratianus, & Valentinianus & Theodosius, Tit. *de privilegiis eorum qui in sacro palatio militant.* Et, *de Castrensi omnium Palatinorum peculio*, lib. XII. C. Et (ut hoc quidem addam) pro certo habent historiographi, Palatinum montem multis annis ante urbem conditam ædificiis convestitum, ab Roma Itali filia Valentia; ab Euandro deinde arce constituta, urbeque orta Reges & Imperatores inibi sedem habuisse.

Longa deinde serie translato in personam Caroli Magni Imperio, Comitum Palatinorum dignitas & auctoritas non solum

lum remansit, sed etiam aucta est. Unde apud Blaviam in Xantonibus super Rolandi sepulchrum scriptum est, *illum fuisse primum Comitem Palatinum*, quod forsitan plures essent in aula Imperatoris. Fuit autem is Rolandus Caroli Magni ex sorore nepos. Dux quidem magnanimus, qui cum socio Oliverio aliisque quam plurimis egregiis viris contra Hispanos, tum infideles, fortiter pugnando in jugis montis Pyrenæi, qua parte Roncivallis appellatur, siti & vulneribus confectus occubuit: ubi etiamnum hodie cornu illius eburneum & ensis ostenditur. Quia verò nostri Comites Palatini, verâ lineâ Carolum Magnum, & hunc Rolandum attingere putantur, haud tædiosum erit paucula de hoc adscribere. Fabulantur Francorum annales eundem Carolum, ejusque duodecim proceres, quos *Francie Pares* appellant, inaudita corporis magnitudine fuisse. Quod rescire cupiens antiquitatis amantiſſimus Franciscus Rex Francorum, ex Hispanica captivitate in suum regnum rediens, postquam Blaviam pervenit, in subterraneum illud specus descendit, ubi dictus Rolandus & Oliverus, & medius Divus Romanus in marmoreis sepulchris non admodum magnis tumulati sunt. Jussit autem de Rolandi tumulo frustum marmoris abrumpi, & illico postquam inspexisset, calce seu cæmento reliniri, de communi fama nihil detrahens, ne videretur frustra (ut credo) id tentasse. Post paucos verò dies salutato de itinere Rege in oppido Cognaco, Fridericus Palatinus qui tum Imperatorem Carolum in Hispaniam adibat, Blaviam etiam divertit, & eadem monumenta videre voluit. Aderamusego, & Doctor Johannes Langius, Principis insignis medicus, qui de singulis diligentius scire volentes perscrutati sumus à Monacho, qui Principi omnia indicabat, de ossibus Rolandi, an adhuc integra, & ea qua fama diceret, longitudine in marmore concluderentur. Respondit ille, *Famam nihileſſe mentitam, neque nos movere debere marmoris brevitatem. Fuisse enim post multos annos à strage ex Roncivalle translata, putrefactis jam juncturis non cohærentia, sed simul veluti in fascem colligata ibi esse reposita,*

Rolandus
Palatinus.

Pairs de
France.

Et marmor pro longitudine tibiaram, quæ adhuc integra forent, excavatum fuisse. Admirati sumus vehementer, si Monachus verum diceret, Rolandi magnitudinem, cujus pro marmoris dimensione tibia tres pedes ad minus longitudinis habuisset. Dum hæc nobiscum ratiocinaremur, abiit Princeps cum Monacho, nos duo remansimus soli inter nos dicentes: *Quid sibi fragmentum marmoris revelleremus, quum nondum cementum coagulasse videamus?* Placuit consilium, & admovemus manus, quibus libenter cessit lapis, totumque sepulchrum intus inspeximus. Ubi profus nihil erat, nisi ossiculorum cumulus, vix duorum pugnorum crassitudine: quo disperso, os vix ullum digiti longitudine invenimus. Quare reposito, ut antea fuerat, fragmento, risimus inter nos Monachi vel inscitiam vel impudentem mentiendi audaciam.

Fuerunt autem & ante Rolandum multi Comites Palatii apud Franciæ Reges, quos sua lingua *Magistros Curie & Præfectos Palatii* vocabant; veluti Pipinus major, pater Caroli Martelli, qui genuit Pipinum, ex quo genitus est Carolus Magnus Imperator, à quo descenderunt Comites Palatini ad Rhenum. Quod ut liquidò appareat, necessarium est scire, Pipinos & omnes Caroli Magni majores ex Francis Germanis ortos, & ad Rhenum ac Mosam tum sedes posuisse, quum primum Franci in Galliam transmissis Rheno venerunt. Ex primoribus illorum autem fuisse certum est indicium, quod apud Reges Francorum supremas semper dignitates adepti sunt, atque curiæ præfecti, primarii gubernatores, vicarii, majoresque domus, hoc est Palatii Comites fuerunt, ad regaleque postmodum fastigium pervenere. Sedes autem (ut dixi) ad Mosam habuisse testis est Pipinorum regia Jopilla, è regione Heristalli, dimidio milliari ab urbe Leodio: ubi toties nunc Pascha, nunc Natalem Domini celebrasse perhibentur. Accepit ex Antio pago vicino Leodio concubinam Alpaidem, ex qua Carolus Martellus avus Caroli Magni ortus, & cujus causa divus Lampertus occisus est. Postmodum vero Carolus Magnus Aquisgranum,

*Vide eund.
Hubertum
in Eburonib.
pag.
223.*

granum, Duriam, Tulbiacum, aliaque vicina loca, utpote patrimonialia, libenter incoluit. Sed non solum eum tractum totum ad Mosam & circa Leodium Pipini Comites Palatini possederunt; verum & totum Juliacensem, Clivensem, & Bergensem; totamque insuper Brabantiam, Marchionatum Antverpiensem, & deinde ripam utramque Rheni ab exitu illius in Oceanum, usque ad Argentoratum fermè tenuerunt. Quod ita evidenter me probaturum spero, ut non habeat in posterum de quo dubitet probus lector.

Et quidem à Cancore illustri Rhenensis pagi Comite suam initium, qui sub Pipino primo circa Wormatiam & Heidelbergam longe lateque regnasse legitur. Cujus mater Willisvinda, vidua Roberti Comitis, filia Adelhelmi Comitis, uxor vero Angila nominabatur. Fundavit autem hic anno Domini DCCLXIV. regni Pipini anno XII. Monasterium Laureshamense, quatuor ab Heidelberga distans miliaribus, super fluvium tunc temporis *Wisgoz*, nunc verò *Weschniz* nuncupatum: qui ortus in Ottonica silva, juxta oppidum *Weinheim* è montibus erumpit, & apud Stenum infra Wormatiam Rheno miscetur. Habuit verò Cancor filium Heimericum, & fratrem nomine Turincbertum. Turincbertus verò filium Rutebertum, qui omnes dictum monasterium vehementer locupletarunt. Donaverunt enim Cancor & Angila monasterio Ecclesiam in Scarra cum suis appenditiis: item prædium admodum dives circa Moguntiam, & villam *Hagenheim* cum omni integritate in pago Wormatiensi super fluvium Salusiam: item *Birstat* pagum è regione Wormatiæ, ne quis putet eos non fuisse potentes & divites. Habuit etiam Cancor consanguineum Rutgangum Metensis ecclesiæ archiepiscopum, cui monasterium instituendum commendarunt, nullius Episcopi vel Ecclesiæ juri aut dominio subjicientes: qui quidem ecclesiasticis & regalibus occupatus negotiis, fratri suo Gundelando *Laureshaim* commisit, & ita secundus Abbas factus est. Et (ut hoc quoque addam) idem Rutgangus Gorziense Monasterium

Cancor.

hod. Forsch

Scharre?

* Hod.

Xanter-
for.

Chronicon

Laurisha-

menſe, à

nobis editū

Tomo 1.

German.

EINHAR-
DUS,* Videſis
eandem

ſtylo Lipſi

deſcriptā,

in Monit.

Polur. lib.

1. cap. 12.

Imma Ca-

roli M. F.

ſterium tribus à Metenſi urbe miliaribus fundaffe, & corpus be-
ati Gorgonii ibidem recondiſſe dicitur, & in Eccleſia Hylaria-
cenſi ſanctum Naborem, * in Laureſhaimenſi vero divum Na-
zariū. Quæ tria Monafteria Pipinus poſtmodum ſumtuofiſ
auxit ædificiis. Quapropter & Fundator aliquando nuncupa-

tur. Hæc ex antiquiſſimo libro ante ſexcentos (ut putatur)
annos ſcribi cœpto erui, in quo & literæ Caroli Magni conti-
nentur memorantes *Heppenheim oppidulum eſſe ſitum in pago &*

Comitatu Rhenenſi. Et hinc facilis conjectura, Comites Pala-

tinof ad *Rhenum* eo tempore nuncupatos, & ex Pipinorum

profapia ortos eſſe. Quandoquidem Cancori ſucceſſiſſe poſt-

modum Carolum Magnum facile colligitur, ut qui filiam ſuam

Immam de bonis in eodem pago Rhenenſi jacentibus, poſt-

quam ſecretario ſuo Eginhardo nupſit, dotavit. Quod ne quis

miretur, aut exiſtinet me fabulam recensere, adponam eam

* ad verbum ex eo quem ſupra dixi veteri libro, ut etiam ſit le-

ctori tædii levamen, ſi quod ex his concepſſet: *Qualiter ve-*

ro Cella Michelenſtat ſub hoc piſſimo Principe Carolo Magno, per

venerabilem Einhardum Laureſhaimenſi monaſterio acceſſerit, pro-

ut à majoribus noſtris memoriæ traditum eſt, perſtringamus. Eſt

enim res tum cognitu & admiratione digna, tum quanta vel qualis

olim Imperialiſ excellentiæ & erga ſubditos pietas, & erga devotos

liberalitas, & erga ſuorum exceſſus clementia fuerit, evidens exem-

plum. Hic igitur Einhardus Archicapellanus notariusque Impe-

ratoris Caroli, cum in aula regia laudabiliter ſerviens, diligeretur

ab omnibus, à filia quoque ipſius Imperatoris Imma nomine, Regi

Græcorum deſponſata, amabatur ardentius. Aliquantum tempo-

ris fluxerat, & amor alternus cotidie inter ambos per augmenta cre-

ſcebat. Utroſque enim timor retardavit & offenſio Regia, ne tam

gravia conveniendi inirent conamina. Sed amor improbus omnia

vincit. Denique cum idem vir egregius inremediabiliter amando

æſtuaret, auresque virginis per internuncium appellare non præſu-

meret, noſſimè ſumpta de ſemetipſo fiducia, nocturno tempore

latenter ad puellæ tendebat habitaculum. Ibidemque pulſans clan-

culum

culum & intrare permissus, tanquam allocuturus juvenculam de Regali mandato, statim versa vice solus cum sola, secretis usus alloquiis & datis amplexibus, cupito satisfacit amori. Interea cum jam appropinquante luce diei, per silentia noctis unde venerat regredi vellet, de improvviso nivem haud modicam decidisse cognovit; & ne per vestigia pedum virilium agnitus proderetur, foras exire timuit: ambosque pro conscientia facti, anxietas simul & formido intus remanere compulit. Cumque nimia sollicitudine fluctuantes, quid factio opus esset deliberarent; tandem elegantissima juvencula, quam audacem faciebat amor, consilium dedit, ut ipsa quidem super se insidentem inclinata exciperet, eumque usque ad locum illius hospitio contiguum ante lucanum deportaret, ibique eo deposito rursum per eadem vestigia cautius observata rediret. Eam noctem Imperator divino* (ut creditur) nutu insomnem duxit, diluculoque consurgens, eminusque de aula prospiciens, intuitus est filiam suam sub praefato onere nutanti gressu vix incedere, & ad condictum locum deposita, quam gestabat sarcina, celeri repedare recursu. Quibus multo intuitu perspectis, Imperator partim admiratione, partim dolore permotus, non tamen absque divina dispositione id fieri reputans, sese continuit, & visa interim silentio suppressit. Interea Einhardus sibi conscius, certusque rem nullo modo Dominum suum Regem diu latere posse, tandem inter angustias reperto consilio Imperatorem aggreditur, flexis genibus missionem postulans, asserens tot & tantis servitiis suis condigna non rependi praemia. His auditis Rex dissimulato rei & eventu & exitu diu conticuit: dehinc eum certificans se postulationi ejus quantocius responsurum, diem constituit; statimque Consiliarios primosque sui regni & ceteros quosque sibi familiares passim evocatos convenire jussit. Congregata itaque magnifica diversarum dignitatum frequentia, ita exorsus est: Imperatoriam, inquit, majestatem nimis injuriatam esse & despectatam, in indigna filiae suae Notarii que sui copulatione, & exinde non mediocri sese agitari perturbatione. Quibus nimio stupore percussis, & de rei novitate & magnitudine quibusdam adhuc ambigentibus, Rex innotuit eis evidentius, referens eis à primordio

Simile exemplum
Henrici III
Imp. apud
Vinc. Be-
luacens. in
Spec. Hist.
lib. XXV.
cap. 10.

quid per semetipsum oculata fide cognoverit, consiliumque eorum atque sententiam exposcullans super hoc. At illi inter se diversi diversa sentientes, in prasumptorem hujus rei duras & varias dedere sententias; aliis sine exemplo puniendum, aliis exilio damnandum, aliis alio modo disperdendum, ut cuique impetus erat, adjudicantibus. Porro quidam ex eis tanto mitiores, quanto sapientiores, habita secum deliberatione quam intimè Regem exoravère, quatenus ipse rem per semetipsum examinare, & secundum divinitus ei collatam sapientiam diffinire dignaretur. Verum ubi Rex singulorum circa se affectum ponderavit, & inter diversorum sententias, quid potissimum consilii sequeretur expendit, sic eos alloquutus est: Non ignoratis, inquit, humanum genus variis subjectum esse casibus, & frequenter evenire, ut res nonnulla qua contrariis initiis inchoantur, meliorem aliquando sortiuntur exitum. Proinde non est desperandum, sed potius super hac re, qua & gravitate & novitate sui nostrum exuperat ingenium, divina providentia qua nunquam in sui dispositione fallitur, quaque etiam malis bene uti novit, pietas est exspectanda & expetenda. Quapropter tam tristis facti à Notario meo non exigam pœnas, per quas infamia filia mea magis videbitur augeri quam minui. Unde dignius & laudabilius imperii nostri gloriae arbitramur congruere, ut data adolescentiae venia, legitimo eos matrimonio jungam, & rei probrosee honestatis colorem superinducam. Regis igitur audita sententia, fit incomparabile gaudium, magnitudoque animi ejus ac mansuetudo summis effertur laudibus. Interim Einhardus jussus adesse, ingreditur: quem Rex exopinato salutans, ita eum placido vultu alloquitur: Jam dudum auribus nostris à vobis delata est querimonia, quod servitiis vestris regali munificentia hæcenus dignè non responderimus. Sed (ut verum fatear) maxime super hoc culpanda est vestra negligentia: quandoquidem licet sustineam tot & tanta negotia solus, tamen si quid voluntatis vestra conceptum haberem, servitia vestra digno fuisset prosecutus honore. Verum ne vos diuturno sermone protraham, querimoniis vestris amplissima donatione satisfaciam: & ut vos etiam fidelem

mibi

mibi ut prius & benevolum posthac sentiam, juri vestro nuptui tradam meam filiam, vestram scilicet portatricem, qua quandoque altè succincta vestra subvectioni satis se morigeram exhibuit. Protinus ad Regis edictum cum multo comitatu adducta est ejus filia, qua roseo vultu perfusa rubore, tradita est per manus patris in manus predicti Einhardi, cum dote plurima, prædiorum quoque nonnullorum, cum innumeris aureis argenteisque donariis, aliisque pretiosis suppellectilibus. Quibus etiam piissimus Imperator Ludovicus post obitum patris, prædia sua videlicet Michelensstat & Mulenheim, qua nunc appellatur Seligenstat tradidit. Ubi monasterium postea Einhardus construxit, Mülnheimque donavit: Monasterio autem Lauresheimensi Michlensstat testamento reliquit, reservata tamen sibi donec viveret & suis hæredibus possessione, qua adhuc fruuntur Comites de Erpach: qui se ab illo originem ducere arbitrantur, & sepulchrum illius nuper aperiri in Seligenstat fecerunt, veramque hanc historiam tabella plumbea testante paucis voculis deprehenderunt. In literis autem hujusmodi donationis Ludovici Pii Michelnsstat dicitur sita in Odenervalt in Pago Plumgovve, super fluvium Mimigun: Mulenheim autem ad Mœnum fluvium.

Erpach.

In quibusdam literis Lotharius primus filius Ludovici Pii Ansfridum fidelem sui Palatii Comitem appellat, & ob egregia in se merita prædium in Geizesfurt in pago Hattuarenfi, super fluvium Nerse, in Odenheimer marca donavit. In literis verò Ludovici Pii Mulenheim fuisse possessionem Drogonis Comititis, nempe Palatini, memoratur: & Wissenloch in Comitatu Conradi Comititis. Fuit autem Drogo ex Pipinorum majoribus. Hæc ego scribo, ut sciatur Comites Palatinos multa ad Rhenum & ad Mœnum juxta Wormatiam circa ejusdem Caroli Magni tempora possedisse. Item Brisach legitur ad eos pertinuisse. Supradictus Ansfridus Comes Palatinus multa possedit in pago Taxandria, nempe villam Empele, quam donavit eidem monasterio, Hunssete, Hatalle, Orcinon,

Ansfridus
Com. Pal.

Drogo.

Vide Chron
Laurishaus
fol. 73.

Orcinon, Rosmala, Herpina, Angrisa, Osterol, Maruilde, Palete, Hamaritta, Driella, qui sunt adhuc vici non procul à confluente Rheni & Mosæ, juxta oppidum *Graben, Meghen, & Ravensstein*. Hic nescio an debeam confiteri errorem, qui secutus

Taxandria

*pag. 120.

Bois le Duc.

Vide d.
Chron.
fol. 20.

Leodiorum annales Vifetum oppidum inter Leodium & Mastricum Taxandriam esse volui, in Eburonibus meis, * quum sit Taxandria pagus circa Buscum ducis, & opinor oppidum ipsum, quod est antiquissimum (ut veteres muri indicant) esse Taxandriam, eo quod anno DCCCLXIX. tricesimo quarto Ottonis primi, quum requireret Abbas Lauresheimensis ab Episcopo Leodiensi Erkaro sive Eberhardo, ubinam *Taxandria* & vicus *Empele* foret, cujus Ecclesia ad se pertineret, nec haberet Episcopus certi quicquam quod responderet, congregari fecit totius suæ diœcesis synodum, in quo septem viri illustres juramento attestati sunt, Taxandriam pagum esse circa Buscum ducis, & vicum *Empele* in illo, in ripa fluvii Mosæ, cujus alluvio Ecclesiam totam pene avulsisset: quam ita inventam ipse Episcopus & Abbas reedificaverunt, & in honorem sanctorum Lamberti & Nazarii dedicaverunt. Non tamen ignoro, pagum fuisse amplissimum Taxandriam, & forsan extensum Vifetum usque. Donavit etiam Ansfrius monasterio, quicquid habebat proprietatis in pago *Durnau* in villa *Sodoia*, super fluvium *Geldiun*, in Comitatu Geiselferti (qui etiam ex majoribus Caroli Magni fuit.) ad Austrum fluit *Sambra*, ad Occidentem res sancti Lamperti, ubi villa Baldanis. Annales autem Antuerpiensium, septem nominant ante Carolum Magnum ex Pipinorum familia Marchiones.

Alle Pfalz
Wallens.

Præterea certum est Pipinos totam Brabantiam (ut nunc dicimus) possedisse, atque ipsam Arduennam silvam, præsertim ubi Rhenum attingit, & *vetus Palatinatus* etiamnum hodie appellatur. Qui fuit amplissimus, etiam si ea quæ sunt adhuc juris Palatini duntaxat adnumerentur, hoc est quæ in feudum à Palatinis hodie accipiuntur: videlicet quicquid ferè est inter Confluentes & Andernacum, totus Comitatus *de Kirnberg, de Nue-*

de Nuenar, de Wida, de Seinis, de Manderschid, potissima ferè pars Ducatus Iuliacensis: in quo Palatinatus (cuius nomen non occurrit) Monasterium postmodum ædificavit, cui nomen *Bruvveiler*, uno à Colonia Agrippina distans miliari. Et Ezelinus Comes Palatinus Rheni, frater sanctæ Kunigundis, Ecclesiam in *Keyfersverd* infra eandem Coloniam construxit: quæ omnia cum tota Lotharingia Eberhardus & Geisibertus, qui ex posteritate Caroli Magni & Comites Palatini fuerunt, sub Ottone primo possidebant, sub quibus Leodium, Caprimons, Trajectum, Iupilla, Harstallum, Marsna, Litta, pleraque alia continebantur. Godefridus Comes Palatinus Rheni septem principalia beneficia, quæ vulgo appellantur *Vahnlehen*, morte septem nobilissimorum Ecclesiæ Laureshamensis fidelium, obtinuit à Bennone Abbate: & ad generum illius Welephonem pervenerunt sub Henrico quarto. Fuerunt Fredericus & Sigefridus Comites Palatini ad Rhenum, sub Henrico tertio Imperatore. Et ut clariora hæc omnia fiant, adponam quæ antiquitati faventissimus Princeps, Iohannes Comes Palatinus Rheni, Dux Baviaræ & Comes in Spanheim, sua diligentia, in veteri Palatinatu requisita mihi tradidit: *Henricus*, inquit, *Comes Palatinatus Rheni, & dominus de Lacu, quod sine liberis esset annuente uxore sua Adelheida, ædificavit Monasterium ad Lacum patrimonium suum, Anno salutis MXCII. regnante Imperatore Henrico tertio: deditque eidem Rheidā, Bellā, Bedendorf, Krust, Alke, & Lacum.* Et in literis foundationis ad finē habetur: *Adfuerunt Sifridus priyignus meus, Henricus, Dux de Limpurg & Wilhel. Comes de Lutzelb. cognati mei, &c.* In literis verò privilegii, Henrici III. Romanorum Imperatoris hæc verba continentur: *Post mortem vero prædicti Palatini Comitum Henrici, Sigefridi qui ei in comitatu Palatii successit de patrimonio suo Mylen in Brabantia, Ouerhouen & Genebeiden Monasterio ad Lacum dedit.* Neque propterea (quod aliqui hic facere nituntur) quisquam putet, extra lineam Palatinorum Comitatum devenisse: sed potius credendum, ipsam Adelheidam, & priorem eius maritum patrem Sigefridi, Palatinos quoque fuisse; qui multi tum supererant, exulantes hinc & inde propter novissimum bellum per Eberhardum & Geisibertum Palatinos cum Ottone primo gestum: Sigiberti autem conjux Gertrudis vocabatur, & est in monasterio Lacensi depicta, gestans in capite coronam. In veteri quoque Palatinatu, in quodam sacello divæ Virgini dedicato scriptum invenitur: Sigefridum Comitem Palatinum arcem nunc dirutam, non procul ab oppido Meyen & monasterio Lacensi, quam *Hobensimeren* appellant, inhabitasse, habuisseque in uxorem Ducissam Brabantiarum Genovesam,

Ezelinus.

Godefridus.

Henricus.

Jumloich.

Grawen.
Kirchen.

Extat hi-
storiola
M.S.

Dist.

Guilhelmus
Palatin.

Arduenna
silva.

quam consilio & suasu cuiusdam equitis, cui nomen erat Golo; voluit igni tradere. Causæ non referuntur, sed sunt qui adserant, cum puerulo in ingentem silvam expositam, & post aliquot menses sine omni humana ope, sanam & incolumem repertam, & à Deo in signum innocentiae conservatam. Idem Sigefridus monasterium in Brabantia fundavit nomine *Haffigenium*, de quo quidam Cardinalis singulis annis novendecim millia florenorum accipit, & adhuc triginta monachi cotidie ibidem aluntur. Est autem non procul ab oppido Alosto, Comitatus titulo nobili. Supradicta Adelheidis in eodem monasterio coronata etiam juxta maritum suum cernitur depicta. Et est notatu dignum, quod licet prædictus Princeps Henricus se duntaxat *Comitem Palatinum & dominum ad Lacum* scribat; nihilominus tamen insignia Bavariae in dextro suæ chlamidis latere, & in sinistro flavum leonem sine corona in nigra planicie cum duplici cauda, depicta cernantur: ut credibile sit, eum ex Bavarorum & Palatinorum progenie descendisse, ex stemmate Comitis Wernheri de Scheyren. Veteres enim sua insignia non curiosè, ut hodie, observabant. Siquidem Rupertus cognomento Senior, Comes Palatinus & Princeps Elector invenitur depictus equo insidens, & insignia Bavariae pro scuto tenens, & ad equi antilenam leonem Palatinum sine rubeo scuto, quod est insigne Electoralis dignitatis. Scilicet *pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas*, naque ab illis petendum iudicium. Fuit & in hoc veteri Palatinatu Princeps Guilhelmus, Comes quoque Palatinus, qui sepultus est in *Spreckersbach*: quorum omnium epitaphia adscripsissem, nisi reveritus essem illa non placitura palato nostri temporis hominum, eo quod media ætate scripta illis dura, rancida, & rustica planè viderentur. Qui volet ea legere, poterit Lacense Monasterium adire, quod ab Andernaco uno, à Confluente tribus distat milliaribus.

Etsi jam satis superque probatum existimem, Arduennam silvam ad Pipinos & per consequens ad Præfectos Palatii seu Comites Palatinos pertinuisse, & veterem Palatinatum ad Rhenum partem Arduennæ esse: nihilominus teman ut hæc liquidiora fiant, adponam quæ hac de re doctissimus & antiquitatis amantissimus, vetus congerro meus, Chrysantus Boys ad me scripsit. De Arduëna silva, inquit, hæc habeto. Et primo ex Caii Iulii Cæs. descriptione, *Arduenna silva*, inquit, *quæ est totius Gallie maxima, atque ab ripis Rheni Treverorum ad Nervios pertinet, amplius quingentis millibus passuum patet.* Regino monachus Prumiensis Anno DCCCLXXXVI. scribit.

Ludovicum

Ludovicum Regem transmissio inter Confluentes & Arduennam silvam Rheno, in pago Meginense (hoc est Meyenselt) non longè ab Andernaco castello (id est in veteri Palatinatu) cum Carolo fratre conflixisse & vicisse, licet Carolus plus quam quinquaginta millia hominum in suo exercitu haberet. Eodem auctore, regio quæ hodie Eysia dicitur, castrum Sleiden, oppidum Duren in Arduenna est; imo totus Ducatus Lutzelburgensis, Limpurgensis, Iuliacensis; item bona pars Archiepiscopatum Colonienfis & Treverensis; in hac Pipinus Caroli Magni pater Monasterium Prumiam construxit. Et quia non dubitem quam plurimos fore, qui antiquitatibus Arduennæ & præsertim veteris Palatinatus, ubi Eysia appellatur, oblectabuntur; libenter adponam quæ idem Chryfantus mihi dedit, & primum à se repertum lapidem candidum in vico Ripstorf, & in ædibus suis adseruatam huiusmodi.

MARTI. ET. GENIO

TALLIATIVM

CLAVDIVS. VERINVS

AD. PERPETVAM. TVTELAM. ÆDIS

TALLIATIBVS. DEDIT. XCCL

QVAM. ÆDEM. L. MARCIVS

SIMILIS. DE. SVO. POSVIT.

Gruteri In-
script. fol.
I. V. 8. 9.

Item fragmentum hoc:

PRO.

IMP. DIVINÆ

ANCAM. MARTI

TALLIATIVM.

Porro hi lapides non longe inventi sunt ab area Dollendorff. Ibidem sunt adhuc mirabiles subterraneæ testudines. Paulum supra Monasterium Eysia est hic lapis:

CORNICEN. AN. XXXVI

STIP. XVIII.

COLLEGÆ. HÆREDES

POSVERVNT.

Paulum infra oppidum Idan in vico Iuernesheim lapis fuit pulcherri-
mus literis Latinis insculptus, ut ex fide dignis comperi, sed hic mihi præreptus est. Non longe inde in vico Antyweiler inventus est lapis, in quo sunt supra tres virgines sedentes cum sportulis, in quibus rosæ, sub virginibus verba sunt hæc:

MATRONIS. VACALLI

NE. HIS. TIB. CLAVDI

MATER. NVR. IMP. IPSA

Münster-
Eysel

Post verba hæc, imo sub ipsis, primum stat virgo longa veste decenti, habens in manu (ut apparet) virgam florentem: ad cuius caput est adscripta litera L. Lixia scilicet, quæ fuit mater Tiberij, & nurus Imperatoris Iulij, utpote quæ filio illius adoptivo Augusto nupsit. Juxta Liviam ara stat, in qua ignis cum flammis; juxta aram stat juvenis habens acerram in manibus; post juvenem stat longior vir habens quippiam in manu, idque imponens in ignem super aram. Ego crediderim esse sacrificium Livix à matronis factum, idque secutus C. Tacitus, qui in initio primi ait, *Liviam non contentam honoribus humanis, se per sacerdotes & flamines effigie deorum & numinum coli voluisse.* Eiusdem formæ lapis est & alius, habeoque ego in ædibus meis cum superioribus. Hæc ille.

Non solum autem suprema Comitum Palatinorum dignitas apud Pipinos & Caroli Magni posteritatem permansit; verum etiam *Vicariatus.* *Vicariatus* sublimitas etiamnum hodie perdurat, quam pene eandem dixerim. Ut enim præsens Imperator Comiti Palatino negotia disponenda permittebat, vicesque suas prorsum commendabat. Quapropter inde effectum est, si contingat Imperatorem trans Alpes aut Pyreneos montes commigrare, ut illico quicquid est rerum Imperialium citra montes ad Comitis Palatini curam pertineat, & Vicarius Imperii appelletur: mortuo verò Imperatore, & alio nondum electo aut suffecto, Comes Palatinus ad Rhenum, & ea quæ sunt juris Suevici & Franconici, causa & ratione Palatinatus, singula quæque administrat & disponit. Et quod magis est, & semper fuit Comitum Palatinorum excellentia, ut Imperialis Majestas si qua controversia illi cum quopiam existat, sub Comite Palatino iudicium subeat, ut aperte Bulla Aurea Caroli quarti Imperatoris declarat & continet. Et hinc factum nemo dubitet, quomodo de constituendis Principibus Electoribus ageretur, primas partes Comiti Palatino attributas, ut excellentissimo ex Caroli Magni progenie Principi: quas postmodum idem Carolus quartus Bohemix Regi adscripsit, & assignavit volens consulere posteritati suæ. Tanta autem semper apud veteres Comitum Palatinorum ratio, honor & reverentia habita est, ut mortuo Henrico Comite Palatino Henrici Superbi filio, unica relicta filia, quam *Otto.* Otto Dux Bavarix & Comes à Scheyren in uxorem duxit, Comitis Palatini titulo is Elector habitus sit, licet utrumque Principatum possideret. Cujus ex filio nepos Ludovicus quum duos haberet filios, Rudolphum & Ludovicum, huic Bavarix, illi verò Palatinatum cum Electoria dignitate & parte Ducatus Bavarix *Electoatus* donare

donare voluit, hac adiecta conditione, *Vivicistudinario jure eandem Electoriam dignitatem possiderent.* quod obtinere non potuit. Neque enim Imperii Principes & subsequentes Imperatores ferre voluerunt, tantam auctoritatem & dignitatem, quæ solis Comitibus Palatinis debebatur, & ad eos pertinebat, à quopiam quàm qui Comes Palatinus Palatinatumque possideret, usurpari aut vindicari. Quod ipsum Carolus quartus Imperator postmodum Nuringbergæ publico judicio, assidentibus omnibus Electoribus, declaravit, & edicto cavuit: *Ne quis ad Electoriam & Archidapiferi dignitatem jus sibi vindicare præsumeret, nisi qui prius Palatinatum ipsum jure obtinisset.* Et hinc factum ut Comites Palatini continua serie novem Reges Romanorum sive Imperatores, sine Ducum Baviariæ aut quorumcunque aliorum contradictione, elegerint, & suis suffragiis ad Imperiale culmen promoverint. Licet enim ipsa Rudolphus per fratrem Ludovicum Imperatorem & Ducem Baviariæ: è Palatinatu pulsus, omnibusque bonis & dignitate spoliatus fuerit, eo quod ei suffragium suum in electione denegaverit, & Friderico Austriaco dare maluerit, & in exilio in Anglia mortuus sit; filii tamen ejus spoliati non remanserunt, sed in omne jus paternum & dignitatem successerunt: videlicet Rudolphus, Adolphus & Rupertus. Hic Rudolphus in *Nova Civitate* Ecclesiam collegiatam construere incepit, sed morte præventus fratri Ruperto perficiendam, & Palatinatum Electoriamque dignitatem regendam reliquit, Adolphus enim ad ea non satis aptus judicatus est. Habuit autem Rupertus duas uxores, primam Elisabetham Comitis Namurcensis filiam, alteram Beatricem de Bergis. Et universale (ut vocant) Studium in oppido Heidelbergensi instituit Anno *MCCCXLVI.* cui sine herede mortuo Anno *MCCCXC.* & in *Nova Civitate* cum suis uxoribus sepulto, filius Adolphi fratris Rupertus Brandits successit & Princeps Elector factus est. Qui ex Beatrice Siciliæ Regina genuit Rupertum Romanorum Regem, Ecclesiæ regalis S. Spiritus Heidelbergensis fundatorem. Et ille ex filia Burgavii Nurenbergensis plurimos filios, Ottonem, Fridericum, Rupertum, Ludovicum, Johannem, & Stephanum procreavit. Ludovicus factus est Elector, qui quoque tres filios reliquit, Ludovicum, Fridericum, & Rupertum. Ludovicus Elector moriebatur *wormatiæ* Anno *MCCCCXIX.* relinquens unicum filium Principem Electorem Philippum, qui multos reliquit liberos filios & filias; inter quos Ludovicus Elector, & Fridericus, cujus vitam & res gestas scribere nunc aggredimur. Hoc saltem

Neustatt.

Academia
Heidelberg

*Lib. III.
Cosmogra.
cap. 350.

præfati, nobilissimam hanc familiam à Pipinorum & Caroli Magni temporibus semper floruisse, multa possedisse, & nunquam defecisse. Quod male opinatus est M V N S T E R V S *. Nisi dicere volumus, agnatos & cognatos de familia non esse, & jura sanguinis per filiam non conservari. Quod ipsum etsi Romana jura contineant, non tulissent tamen Romulus & Remus Rheæ Silvix filii, & ab iis originem ducens I V L I V S, Romani Imperii primus fundator & auctor.

DE HEIDELBERGÆ ANTIQUITATIBVS.

Per eundem Hubertum Thomam Leodium.

Budoris.

Quidam Heidelbergam vel describere vel laudare conati, & antiquitatem ejus requirentes, nihil verò de ea scriptum obviam habentes; è Ptolomæi qui tempore Traiani & Antonini Pii vixisse perhibetur, viri Alexandrini, docti sanè, sed qui coactus quæ ab aliis audiebat scriptis tradere, satis infeliciter de Germania retulisse deprehenditur (si non depravata, quæ de illius civitatibus reliquit, existunt infinita nomina) inter quæ *Budoris* oppidum memorat, quod Heidelbergam fuisse autumatur: non satis perpendentes, Ptolomæi ætate Heidelbergam in rerum natura non fuisse, nedum nomen habuisse. Quare huiusmodi nænias relinquens, quæ de Heidelbergæ antiquitatibus habeo, describere adgrediar, & à quibus ea sumserim, liberius forsan depromam. Fuit ea tempestate, qua primum Heidelbergam veni, vir non admodum doctus, sed investigandæ antiquitatis inprimis diligens perscrutator, & circa repertam prudens annotator. Huic nomen erat Johanni Bergero. Is à me interrogatus, quæ de Heidelbergæ nomenclatura & antiquitatibus sciret, depromsit libellum vetustissimis characteribus descriptum, quem diligentissimè perlegi, & memoriæ quantum potui commendavi. In eo inquam libello scripta fuere quæ sequuntur. *Heidelbergæ* seu potius *Heidenbergæ* nomen accepit à Romanis, qui hunc locum incoluerunt; quos Germani, ut omnes qui non sunt suæ religionis, *Heiden* solent appellare, id est Paganos. Deinde more Græcorum N in L mutantés, *Heidelbergam* dixerunt, id est Paganorum mons, quod nomen usque in hodiernum diem

Heidenberg.

num diem retinet. Incoluisse autem hunc locum Romanos multa sunt indicia, atque adeo *mons de cunctis cœlitibus* (inquit Hermannus Buschius insignis Poëta, in Hypantico) *nomen habens*: ubi multa in- sunt argumenta, & inter cætera fonticulus, quem *ad Bachi aras* nuncupant, & item cisternæ quæ adhuc apparent: item inscrip- tiones Romanis literis: & in vicino pago *Hentschuchsheim*, talis inscriptio:

MERCVRIO . . .
BASEM. CVM . . .
L. CANDIDI . . .
CATO. R. D. C
V. S. L. L. M

Heiligenberg.

Appianus
456. &
Herold. de
stat. legion
in vet. Ger.
c. 12. 13:

14.

Item in proximo pago, quem vocant Burgum Latinorum, *Laden- burg* Germanicè, talis inscriptio:

IVNONI. Reginæ
MINERVÆ Dea
BVSQVE . . . : pro
SALVTE. ET. incolumitate
DD. NOSTRORVM Diocletiani &
MAXIMIANI. feliciff.
AVGVSTORVM. Constanti
ET. MAXIMIANI nobb. Cæss.
CIVITAS. MOC. . .
: VRE IN : EAV . .
. . . IAL

Ladenburg

Non procul inde est satis magnus pagus *Heidelsheim*, sic quoque ap- pellatus, quod ibi habitarent Romani, qui Germanis *Heiden* appel- lantur. Quo tempore Velleda virgo in Bruchteris imperitabat, vetula quædam, cui nomen Iettha, collem eum ubi nunc est arx Heidelbergensis, & *Ietthæ collis* etiam nunc nomen habet, inhabi- tabat, vetustissimumque phanum incolebat, cujus fragmenta ad- huc nuper vidimus, dum Comes Palatinus Fredericus factus Ele- ctor egregiam domum construxit, quam *Novam-Aulam* appellant. Hæc mulier vaticiniis inclita & quo venerabilior foret, raro è pha- no in conspectum hominum prodiens volentibus consilium ab ea petere, de fenestra non prodiens vultu respondebat, & inter cæ- tera prædixit (ut inconditis versibus canebat) suo colli à satis esse datum, ut futuris temporibus regiis viris, quos nominatim recen- sebat, in habitaretur, coleretur, & ornaretur, vallisque sub ipsa multo populo inhabitaretur, & templis celeberrimis ornaretur.

Heidels- heim.

Jettenbü- hel.

Erat eo tempore Heidelbergæ sine nomine silva, & feris duntaxat inhabitata. Quo autem tempore Iulianus Imperator apud Tabernas tres, Alemannos ad internecionem gentis propemodum vicit & delevit, curavit ubique fieri & construî munimenta, ne rursus convenire, rursusque provincias Romanas vexare possent. Postquam autem Romani inter Rauracos; id est Basileam, & Coloniâ Agrippinam ad Imperii protectionem infinitas arces & propugnacula ad Rhenum supercilia ædificarunt, præsertim in ripa Galliæ, & sequentibus temporibus Rhenum transgressi bonam partem Germaniæ occuparunt; visum est illis opus imprimis esse, ut loca per quæ à Germania ingressus in provincias Romanorum esset, munirent. Quâ autem unicum erat iter juxta Nicrum flumen, ubi se ex Hercinia silva extra montes exonerat, duas extruxerunt arces; unam supra Ietthæ collem, alteram è regione, in excelsò monte & undique abrupto, quem *Abrinsberg* eo tempore nominabant, nunc autem *Omniû Sanctoꝝ* vocatur: & ut nusquam pateret iter, murum ab phano Ietthæ ad flumen usque construxerunt, qui modo pro mœnibus servit; juxta verò aquam turrim excellam, ne per flumen esset descensus, ubi domus nobilium est, qui hodie nomine Euleri gaudent: è regione autem ultra flumen ad pedem Abrinsbergi montis, ubi nuper phanum Divæ Virgini constructum est, pons fuerat, qui sublevabatur & recludebatur, ne illac transitus insciis Romanis pateret.

Sed ut tandem fabulosæ antiquitati valedicamus, lubet adscribere, quæ is liber de infelici morte ipsius Ietthæ continebat. Egressa quondam amœnissimo tempore phanum, ut deambulatione recrearetur, progrediebatur juxta montes, donec pervenit in locum densis silvis confitum, quo montes intra convallem declinant, & qua multis locis scaturiebant pulcherrimi fontes, quibus vehementer cœpit illa oblectari, & assidens ex illis bibebat. Cum ecce lupa famelica cum catulis è silva prorupit, quæ conspectam mulierem, necquicquam divos invocantem dilaniat & frustulatim discerpit, quæ casu suo fonti nomen dedit. Vocatur quippe in hodiernum diem, *Fons luporum*, ob amœnitatem loci omnibus notus: quem Princeps Fredericus salientibus fontibus exornavit, & vivariis salaribus refertis jucundum reddidit, quem tempore ætatis inviseret, & plerique scholastici voluptatis causa sæpe adeunt.

Quis postmodum Heidelbergam mœnibus cinxerit, non facile invenitur, Episcopum Wormatiensem nullo modo recipiunt, *Ecquis*

Heiligenberg.

Eulerhof.

Wolffsbrunn.

Ecquis enim unquam audivit Episcopos eam curam suscepisse, ut mœnia & urbes munitas esse velint? non facile probatur, nempe magis crapulæ & luxui dediti, quàm de Republica cogitarunt. Nisi dicamus Romanos, quo tutiores & parvis copiis locum hunc ad egressum Nicri continerent, eam munitionem perfecisse, & postea phanis convestivisse.

DE COENOBIO AVGVSTINORVM.

In primis Augustinorum cœnobium juxta mœnia construxisse quosdam ante quingentos & triginta annos, ut se vidisse in literis quibusdam Irenicus * testatum reliquit, & *beatam Virginem in solitudine* appellatam dixit. Ibi Rex Rupertus nondum constructis ædificiis in lethæ colle habitasse commemoratur. Plura de ejus conditoribus reperire non potui. Incoluisse autem multos præclaros viros in Theologia prælatos memoratur. Inter quos revocator veræ religionis, quæ jam diu neglecta jacuerat & obscuruerat, D. Martinus Lutherus prima fundamenta jecerat: & alii complures, ut Carolostadius, Munsterus, Melanchthon, ex hac schola velut ex equo Trojano emerferunt. Nunc vero à Monachis desertum Fridericus Comes Palatinus, in scholam Sapientiæ erexit: Dij faxint melioribus avibus.

Lib. 111.
Exeges,
German.
cap. 51.

DE COENOBIO MINORVM.

Postea Minorum cœnobium infra Heidelbergam ad Nicrum constructum est, quo anno scire non potui. Invenio tamen literas Rudolphi Comitis Palatini & Ducis Baviaræ anno millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, quibus scribit eo tempore *Heidelbergæ fuisse, & viam sive transitum à Monasterio ad Neccarum concessisse.* Deinde literas Ludovici Regis Romanorum, quibus scripsit ea *tempestate extra muros Heidelbergenses adhuc fuisse,* Anno millesimo trecentesimo tertio, regni sui anno tertio. Item literas Ludovici Comitis Palatini & Ducis Baviaræ, datas in *Leyensfeld* anno millesimo ducentesimo octuagesimo sexto. Item literas Johannis vicesimi secundi Papæ de anno millesimo centesimo octuagesimo quarto. Item literas Sifridi Episcopi Curienfis super translatione Monasterii Anno MCCCXXII.

1298.

1303.

1286.

1184.

1322.

Transferebatur autem tunc temporis cœnobium in suburbium civitatis, sed non diu ibi mansit, quia Mechtildis Ducissa Sabaudiaë transtulit, ubi nunc sunt, & ordinem Francisci assumere consuluit:

quæ fuit mater Friderici Comitis Palatini, qui in eodem monasterio cum filio notho requiescit in singulari capella. Et inter cæteros non procul inde Germanorum decus Rodolphus Agricola, cum huiusmodi inscriptione. Primum Hermolai Barbari Patriarchæ Aquilegiensis :

Invida clausæ sunt hoc marmore fata Rodolphum

Agricolam, Frisii spemque decusque soli.

Scilicet hoc uno meruit Germania, laudis

Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

DE BACCHARACO.

SVper nomenclatura huius oppidi, egregio vino nobilis, cui Bacharaco nomen, multa sciscitanti, oblata est cæteris (meo iudicio) verior sententia, quâ affirmatur olim Romanos, admiratos vini quod apud hocce oppidum crescit præstantiam, erectâ arâ in eâ parte montis, ubi Divus Wernherus requiescit, ad Bachi aram nuncuparunt, quæ & subjectum vicum ejusdem nominis esse fecit, Bacharacumque, id est, à Bachi ara nuncupatum arbitrantur.

MONUMENTA QUÆDAM QVO-

rum Auctor mentionem fecit, veneranda sanè vetu-

statis, & ad rem illustrandam plurimum sa-

cientia, visum est integra subiicere.

EX CHRONICO LAVRESHAMENSI.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXIV. Pipini verò Regis Francorum XII. Cancor illustris Rhenensis pagi Comes, cum matre sua religiosa & Deo acceptabili Williswinda vidua Ruperti Comitis, Monasterium Lauresham in insula, quæ nunc appellatur Aldenmunster, initiante venerabili Rutgango Metensis ecclesiæ archiepiscopo ad instituendam inibi monasticæ professionis militiam tradiderunt; nullius quidem episcopii seu cuiuslibet ecclesiæ juri aut dominio subiicientes: sed quia minus id per se poterant, tanquam consanguineo, & tum in Dei rebus viro spectatissimo perficiendum gubernandumque sub traditionis titulo commendantes, Qui ut desiderii sui promptiorem sortirentur effectum

effectum, famulorum Dei qui illic adunandi erant, providentes commodis, ecclesiam in Scarra cum suis appendiciis, prædium suum in Mogontia, villam quoque in Hagenheim cum omni integritate in possessionem ejusdem monasterii contulerunt. Cujus donationis forma fuit talis :

*Donatio dominæ Williswinda, & filii ejus Cancronis
Comitis, de Hagenheim.*

ANno duodecimo regnante domino nostro Pippino rege, sub die IIII. Id Julii, ego Williswinda Deo sacrata, & filius meus Cancor Comes, pro Dei intuitu vel pro animæ nostræ remedio seu & pro æterna retributione, ut non inveniat in nobis ultrix flamma quod devoret, sed Domini pietas quod coronet, ideoque nos in Dei nomine donamus ad sacrosanctam ecclesiam sancti Petri seu cæterorum sanctorum, quæ est constructa in loco sancupato Lauresham, in pago Rhenense, super fluvium Wisgoz, quam nos propter nomen Domini à novo ædificamus, ubi præest vir venerabilis Ruodgangus archiepiscopus & abbas, donatumque in perpetuum esse volumus & promptissima voluntate confirmamus: hoc est villam nostram in pago Wormatiense, in loco qui dicitur Hagenheim, super fluvium Salusiam, quæ mihi de parte genitoris mei nomine Adelhemi legibus obvenit, vel undecunque tam de alode quàm de comparato, seu de quolibet adtractu ad nos noscitur pervenisse, cum integritate sua, terris, domibus, ædificiis, campis, pratis, vineis, silvis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, litis, libertis, conlibertis, mancipiis, mobilibus & immobilibus, peculio utriusque sexus tam majore quam minore genere vel ætate, quicquid dici aut nominari potest, re inexacta, cum omni suppellectile, sicut à nobis moderno tempore possideri dignoscitur, donamus, tradimus atque transfundimus: ita ut ab hac die tam dictus dominus Ruodgangus, vel sui monachi qui ibidem in ipso monasterio habitare videntur, vel successores eorum habeant, teneant, atque possideant, & quicquid exinde facere pro oportunitate loci ipsius voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis verò quod futurum esse non credimus, si nos ipsi, vel aliquis de heredibus vel proheredibus nostris, seu quælibet ulla extranea persona, vel quicumque contra hoc testamentum, quod nos spontanea voluntate fieri decrevimus, venire temptaverit, aut id infringere voluerit; ante tribunal

bunal Christi in die iudicii rationem cum ipso sancto Petro dedicat, & insuper inferat partibus ipsorum monachorum unâ cum partibus fisci auri libras v. argenti pondera decem, & quod repetit, hoc omnino evindicare non valeat, sed præfens donatio testamenti huius omni tempore firma & inviolata permaneat stipulatione subnixâ. Actum Lauresham publice sub die & tempore dicto supra. Signum † Willifwindæ Deo sacratæ, & signum † Cancronis filii ejus, qui hoc testamentum fieri & firmari rogaverunt. Signum Heimerici filii Cancronis. Ego Automadus Treverorum episcopus subscripsi. Ego Albericus episcopus. Ego Johannes episcopus. Ego in Dei nomine Helmericus notarius ex jussu domini Ruodgangi archiepiscopi cartam hanc scripsi, diemque & tempus ut supra designavi.

Donatio Cancronis, de Birstat, & termino ipsius villa.

Ego in Dei nomine Cancor, & Angila conjux mea, cogitantes casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata nostra possimus minuere (donante Domino) & ad æterna gaudia pervenire, idcirco pro animæ nostræ remedio, ut dominus Jesus Christus veniam de peccatis nostris tribuere dignetur, donamus, tradimus, vel firmamus ad monasterium Sancti Petri quod appellatur Lauham, seu & sanctum Nazarium martyrem, qui ibidem in corpore requiescit, vel id illam congregationem monachorum quæ ibidem conversari videtur, ubi vir venerabilis Gundelandus abbas præesse videtur, donatumque in perpetuum esse volumus & promptissima voluntate confirmamus; hoc est terram & silvam quæ est in illa marcha de Birstat, seu in ipso fine: de illo rubero qui est de ecclesia sancti Nazarii ad partem meridianum inter partem sancti Petri, per Agilofum & suos consortes pro signo incisa: & inde ad partem orientalem usque in fluvium Wisgoz, ubi marcha de Basinsheim conjungit: & de ipso rubero ad partem Aquilonis, sicut ipsa incisio arborum in ipsa die facta fuit, quæ vulgo Lachus appellatur sive divisio: & sic ad illam ligneam crucem quæ est posita juxta illam viam quæ venit de Birstat, & inde ad partem Aquilonis: sicut illa incisio arborum seu lachus in ipsa die facta fuit, usque ad illum monticulum qui quasi terminus apparet: & inde per ipsam incisionem arborum sive lachum usque in certum Wisgoz, ubi marcha de Basinsheim conjungit: quicquid infra illam incisionem arborum seu lachum sive divisionem usque ad marcham de

cham de Basinsheim, de dote Angilæ, vel de qualibet parte nostra ibidem videtur esse portio, sive possessio vel dominatio, tam terris, quam silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decurribus, omnia & ex omnibus totum & ad integram ad jam dictum monasterium sive ad sanctum Nazarium à die præsentis donamus, tradimus atque transfundimus in Dei nomine perpetualiter possidendum: ita ut ab hac die ipsi monachi vel successores eorum habeant, teneant atque possideant, & neque nos neque ullus de heredibus nostris, neque ulla obposita extranea persona, de ipsa terra vel de ipsa silva ullo unquam tempore ipsos monachos vel successores eorum eicere nec contradicere possit, nec ullam inquietudinem vel calumniam generare præsumat; sed ad jam dictum monasterium omni tempore proficiat in augmentis. Si quis vero (quod futurum esse minimè credimus) si nos ipsi aut ullus de heredibus nostris seu quelibet ulla extranea obposita persona contra hanc donationem à nobis factam venire tentaverit, aut eam infringere vel immutare voluerit, caveat ne iram Dei omnipotentis acquirat, & insuper inferat unà cum socio fisco auri libras 111. argenti pondo v. multum sustineat, & quod repetit evindicare non valeat; sed presens donatio ista omni tempore firma & inviolabilis permaneat, stipulatione subnixa. Actum in monasterio Lauresham publicè, sub die Kal. Junii, anno secundo regnantibus gloriosissimis regibus Karolo & Karlomanno. Signum Cancronis Comitum & Angilæ conjugis ejus, qui hanc donationem fieri & firmari rogaverunt. Signum Thurincberti fratris ipsius Cancronis, & Heimerici filii sui, & aliorum, Ego Guario lector hanc donationem scripsi.

DE ANSFRIDO PALATINO.

LOTHARIUS Ludovici Pii Imp. filius natus maximus, qui in divisione cum fratribus suis Ludovico & Carolo sortitus est regnum quod ab eo traxit nomen, & provinciam, & cum Italia tota Romanum Imperium; hic Lotharius Ansfido tunc Palatino Comiti, illustri & spectabili viro, ob egregia merita prædium suum in Geizesfurt jure proprietatis contradidit, quod postea idem Ansfidus Laureshamensi monasterio sub Abbate Dietrocho contulit. quæ regia donatio Ansfido conlata talis est.

Ex Chronico
Lau-
resha-
menfi.

Donatio Lotharii Imp. Ansfrido in Geizefurt.

IN nomine omnipotentis Dei salvatoris nostri Iesu Christi, Lotharius divina præveniente clementia rex. Dignum est ut regalis celsitudo procerum suorum petitionibus tanto libentius annuat, & annuendo ad effectum perducatur, quando eos viderit ac noverit in suis obsequiis perstare efficaces. Idcirco magnitudo noverit omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ ac nostrorum præsentium videlicet ac futurorum industria, quia Huchbertus abbas nostram deprecatus est magnitudinem, ut cuidam fidei Comiti palatii nostri Ansfrido nomine aliquantum ex rebus juris nostri, quas ipse jure beneficiario detinet, ad proprium concederemus, ac per præceptum nostrum largiremur. Cujus precibus libenter ob utrorumque sincerissimam devotionem & famulatum adquietescentes, hos eminentiæ nostræ apices fieri decrevimus, per quos memorato Ansfrido in pago Hattuariensi, * & in villa quæ vocatur Geizefurt, super fluvium Nerse, mansos quatuor cum omnibus suis appenditiis, terris scilicet cultis & incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, necnon & mancipiis utriusque sexus ibidem aspicientibus: seu etiam & in pago Laumensi in villa Sodeia super fluvium Geldione, mansum unum cum omnibus ad se pertinentibus, terris scilicet cultis & incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, necnon ab mancipiis utriusque sexus ibidem pertinentibus, ei ad proprium tribuimus, & de jure nostro in jus & dominationem ipsius perenniter mansurum transfundimus: quatenus per hanc nostram auctoritatem potissimam habeat ex eisdem rebus vel mancipiis faciendi licentiam quicquid elegerit vel voluerit, sicut & de reliquis proprietatis suæ rebus, remota cujuslibet inquietudine vel contrarietate: ita tamen ut nusquam à nostra discedat fidelitate. Et ut hæc nostræ largitatis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Lotharii gloriosi regis. Hrothmundus notarius recognovi. Data v. Id Novembris, anno Christo propitio Imperii domini Lotharii piissimi regis primo, indictione I I I I. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

* Hunc locum allegat Lindebrog. ad Am. Marcellinum pag. 93.

Donatio Ansfridi Palatini Comitris in Geizefurt.

SI aliquid ex facultatibus nostris ad loca sanctorum condonamus, hoc nobis procul dubio in æterna retributione profuturum esse confidimus. Idcirco ego in Dei nomine Ansfrid Dei gratia Comes, cogitans de timore Dei vel futura retributione pro remedio animæ meæ, seu dominorum meorum, per quos ad me res pervenisse dinoscitur, dono per hoc testamentum ad sanctum Dei martyrem Nazarium, qui requiescit in corpore in pago Renense, in monasterio cognomento Lauresham, sito super fluvium Wisgoz, ubi moderno tempore vir venerabilis Theotrohus abbas regulariter præesse videtur, & veneranda congregatio monachorum die noctuque domino Deo deservire videtur, donatumque in perpetuum esse volo & promptissima voluntate confirmo, hoc est trado res proprietatis meæ in pago Hattuaria, in Odenheimero marca, in villa quæ dicitur Geizefurt, quæ sita est supra fluvium Nerfa, hoc est mansum indomicatum cum ædificiis atque omnibus utensilibus habentem hobas tres, hobas serviles XVI I I I. & silvam in quam mittere possumus mille porcos perfectè saginari, & eandem silvam determinat ab oriente fluvius Lusgochesbach usque in Nerschinam, & à Nerschina usque in Nersam, & à Nerfa usque ad silvam campumque qui dividit Odehaimero marcam, & quicquid in eadem marca villave habeo proprietatis, exceptis tribus hobis, unam quam habet Wolfbraht, & in eandem silvam debet mittere porcos x. alteram habet Thadolf, tertiam Sigebinus, & etiam debet mittere in silvâ uterq; porcos x. & nullam aliam utilitatem, sive ad exstirpandum, sive incæsura ligni, unusquisque autem de servis ipsis de sua huba debet mittere in silvam porcos v. Hæc omnia superius comprehensa in ea ratione ad sanctum Dei martyrem N. trado, quatenus has easdem res ad dies vitæ meæ habeam: & quicquid ad præfatum monasterium pertinet in loco vel villa qua dicitur Gannida*, tam de quæsitis quam de inquis-

*Hod. Gent.
vul. Ganda
rum.*

immo-

immobilibus, ac se ipsas moventibus, vel quicquid denominari potest aut non potest, mancipiis diversi sexus & ætatis numero LXIV. Hæc verò omnia superius denominata à die præsentis de jure meo in jus & dominium sancti N. rectorumque ipsius monasterii dono trado, atque transfundo in Dei nomine perpetualiter possidendum: ea videlicet ratione donationem memoratam atque traditionem faciens, ut quamdiu in hac mortalitate divina jussione vixero, habeam prædictas res in mea potestate & sub mea ordinatione. absque ullius personæ aut potestatis contradictione vel impedimento, tam ipsam hereditatem à me traditam, quam illam quam ab eodem monasterio precariam accepi. Post obitum verò meum utreque memoratæ res cum omni integritate ad prænominatum venerabile monasterium absque ullius contradictione recipiantur, & in ejus potestate atque dominio permaneant, fratribus specialiter ad sustentaculum, & nulli unquam in beneficium detur. Quod si factum fuerit, heredes mei illud inde abstrahere licentiam habeant atque inter se dispertiri: excepto si major utilitas eidem monasterio per præstariam acquiri possit. Et si aliquis contra hoc nostræ devotionis testamentum resultare voluerit, atque illud convellere aut evacuare tentaverit, primitus Christum & sanctum ejus martyrem Nazarium nefandis ausibus suis contrarium sentiat, & insuper fisco distringente multam de rebus propriis parti prædicti monasterii coactus exsolvat, auri videlicet libram unam, argenti pondo x i i. & nec sic quod conatus repetere, evindicare possit; sed hæc donatio omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnixâ. Actum publicè in monasterio Lauresham, anno incarnationis Dominicæ M C C C L X I I, regni Ludovici regis x x v i, sub die i i i. Non. Octobr. Signum Ansfridi Comitis Palatii. Signum Fridolohi. Signum Ruodleichi, & aliorum. Ego Walthere indignus presbyter & monachus hoc testamentum scripsi, diemque & tempus ut supra notavi.

Item alia donatio ejusdem Ansfridi, in pago Darnau.

EGo in nomine Ansfridus gratia Dei Comes, dono per hoc testamentum ad sanctum Dei martyrem Nazarium, ut supra, quicquid habeo proprietatis in pago Darnau, in marca vel villa Sodoia, quæ sita est super fluvium Geldiun, in comitatu Giselferti, hoc est hubam indomincatam unam, serviles v i i i. & silvam in qua saginari possunt porci c. quam determinat ab oriente res Liutberti,

res Liutberti, ad austrum fluit Sambra, ad occidentem res sancti Lamperti, ad aquilonem item res Liutberti, cum mancipiis xxxix, Hæc omnia in ea ratione ad sanctum Dei martyrem N. trado, quatenus has easdem res ego & Hildiwardus filius meus ad dies vitæ nostræ habeamus: & insuper quicquid ad præfatum monasterium pertinet in villa vel marca quæ dicitur Baldanis, & in censo annis singulis in festo sancti Martini solidos tres fratrum usui persolvamus. Post obitum verò nostrum utræque memorate res . . . ut supra omnia. Actum loco tempore, & die. quo supra.

Ita in V. c.

Præstaria ejusdem Ansfridi Comitis.

Diligendo in Christo filio sanctæ Dei Ecclesiæ, Ansfrido venerando Comiti Palatii, Thiotrochus gratia Dei humilis abbas. Honorabilis tua fuit petitio, & fratrum nostrorum decrevit benivolentia, ut res proprietatis tuæ in Geizsfurt, pro elemosyna tua & dominorum regum Lotharii & Ludovici a te sancto Nazario traditas, simulque res nostras ad Gannita pertinentes, rem quoque proprietatis tuæ in villa Sodoia similiter traditam, cum rebus sancti Nazarii in villa Baldanis, quæ in utroque testamento tuo plenius continentur inscripta, tibi & filio tuo Hildiwardo ad dies vitæ vestræ beneficiarem. Quod quia rationabile fuit perfecimus, & hanc præstariam * vobis conscribi jussimus: ut quandiu vixeritis, utrasque res absque omni inquietudine teneatis & excolatis, & nihil exinde minuere aut deteriorare, sed potius augmentare & meliorare in omnibus studeatis; & singulis annis ob recordationem in festo S. Martini de primo beneficio xl. coria bovina, de secundo tres solidos solvere non neglegatis. Post obitum verò vestrum utræque res melioratæ & auctæ ad sanctum Nazarium revertantur. Data præstaria die & tempore quo supra.

i. Lehen, beneficium.

DE MONTE ABRINSBERG, CVIVS

Auctor mentionem fecit, documenta antiqua
& notata digna sequuntur.*

*Vide sup.
pag. 25.*

LARGITIO LUDOVICI III. IN ABERINESBURG.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Hludowicus divina favente gratia Rex. Notum esse volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus nostrisque, præsentibus scilicet & futuris, Z qualiter

* geliehen

qualiter nos ob amorē Domini nostri Iesu Christi, & pro animā pii genitoris nostri, & pro mercedis nostræ augmento, quasdam res proprietatis nostræ concedimus ad monasterium dictum Lauresham, quod est constructum in honore sancti Nazarii venerabilis martyris Christi, cui nunc venerabilis abba Waltherus præest; hoc est in pago nuncupato Lobodengowe locum quendam qui nominatur Aberinesburg, sicuti ipsum carissimæ conjugii nostræ Liutgardi huc usque præstitum* habebamus, & quicquid ad ipsum locum jure ac legitimè pertinere videtur, cum domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, campis, agris, pratis, pascuis, filvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, viis & inviis, accessibus. Hæc ergo omnia jam dicto Abbati præfatum monasterium & fratribus ibidem Domino famulantibus in proprietatem & dominationem perpetuam condonavimus, & jussimus eis fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum, per quod volumus firmiterque præcipimus, ut de his omnibus nunc & deinceps omni tempore liberam habeant potestatem facien di quicquid eis placuerit: quatenus eos pro nobis, conjugē, proleque nostra, misericordiam Domini melius exorare delectet. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas firmitior habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris melius credatur & diligentius observetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Arnolfus cancellarius ad vicem Luitberti archicapellani recognovi & subscripsi. Data xv. Kal. Febr. anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXII, Indictione x. anno v. r. Hludowici serenissimi regis. Actum Franconofurt palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

*Donatio Gernivve & Grimoldi, in
Hantscuesheim.*

EGo in Dei nomine Heriger, pro remedio animæ Grimoldi & Gernivæ, trado ad sanctum Nazarium martyrem, qui requiescit in corpore in pago Renense in monasterio quod nuncupatur Lauresham, vel ad illam congregationem monachorum quæ ibidē sub venerabili viro Gerharto abbate deservire videtur, donatumque in perpetuum fore volo & promptissima voluntate confirmo, hoc est rem quam habuerunt in pago Lobodonense in villa vel marca nuncupata Hantscuesheim, id est aream unam & molendinum & vineam, & quicquid legitime & jure ad illam videtur

detur pertinere: ea verò ratione, ut ad basilice, quæ structa est in monte nominato Abrahæ mons, in honore sancti Michaelis Archangeli, servitium constet. Hæc omnia superius comprehensa à die præsentis de jure meo in jus & dominium sancti N. dono, trado, atque transfundo in Dei nomine perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hac die jure habeatis habendi, donandi, commutandi, vel quicquid exinde facere volueritis liberam ac firmissimam in omnibus habeatis potestatem: Et hæc donatio omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnixa. Actum in monasterio Lauresham, sub die VI. Id. Ian. anno IIII. regnante Arnolfo rege. Signum Gerhardi abbatis, & Herigeri, qui hanc traditionem fieri & firmari rogavit. Signum Hufi pr. & mo. Signum Engilberti & aliorum. Ego itaque Chazo indignus subdiaconus & mo. hanc traditionem depinxi, diemque & tempus ut supra notavi.

Alia donatio Ruotswind.

EGo in Christi nomine Ruotswind, pro remedio animæ meæ trado ad aulam sancti Archangeli Michaelis, quæ constructa est in pago Lobodunense in monte qui vocatur mons Abrahæ, super quem venerabilis Gerhardus abbas potestatem habet, donatosque in perpetuum esse volo, in Ebbelenheimero marca jurnales X. & dimidium, & IIII. ad monasterium sancti Nazarii martyris Christi tradidi in Dei nomine perenniter possidendos, stipulatione subnixa. Actum publicè in cacumine montis Abrahæ XV. Kal. Ian. Signum Gerhardi abbatis, & Ruotswindæ, qui hanc traditionem fieri & firmari rogaverunt. Signum Hufi presbyteri, Geraldii, Walamari. regnante Arnolfo rege IIII. regni ejus.

*Donatio Cunradi Regis primi, ad monasterium
Abrinsberg.*

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Cunradus divina ordinante providentia Rex. Quicquid Dei servorum exhortatione locis divinis cultibus aptatis devota mente conferimus, in extremo examinis die centuplicatum à summo iudice nobis representari absque dubio confidimus. Idcirco omnibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque fidelibus præsentibus & futuris notum esse volumus, qualiter nostræ pro mercedis augmento, ac parentum in

elomofina meorum, atque pro quorundam fidelium noſtrorum, Thiedelachi epiſcopi, nec non & Erkangeri Comitis ac cæterorum, Erdolfi & Folnandi rogatu, quasdam res proprietatis noſtræ concedimus ad ſanctum locum Aberinesburg dictum, qui eſt conſtructus in honore ſancti Michaelis Archangeli omnipotentis. hoc eſt quicquid Folcmar proprietatis viſus fuit habere in marcha & in villa Hanſculheſheim nuncupata. VI. hubas ſerviles; & hoc totum Sigolfo noſtro quoque monacho abbatis ſui licentia ad dies vitæ ſuæ ſibi in proprium habere noſtra concedo poteſtate. hoc eſt in pago Lobotungowe: in comitatu Luitfridi Comitis, & quicquid ad ipſum locum jure ac legitime pertinere videtur; cum domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, campis, agris, pratis, pascuis, filvis, cultis & incultis, aquis, aquarumve decurſibus, viis & inviis, accessibus & adjacentiis, finibus, exitibus ac reſſibus. Hæc ergo omnia jam dicto monacho ad præſatum locum, ac poſt ipſius de hac vita diſceſſum fratribus in monaſterio Laureſham domino ſanctoque Nazario famulantibus, in proprietatem & dominationem perpetuam condonamus, & juſſimus eis fieri hoc noſtræ auctoritatis præceptum, per quod volumus, firmiterque præcipimus, ut de his omnibus nunc & deinceps omni tempore liberam habeant poteſtatem faciendi quicquid eis placuerit: quatenus eos pro nobis miſericordiam Domini melius exorare delectet. Et ut hæc noſtre conſeſſionis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus noſtris melius credatur, & diligentius obſervetur, manu propria ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione assignari juſſimus. Signum Chunradi ſereniſſimi regis. Wodelfridus cancellarius ad vicem Pilegrini archicapellani recognovi. Data x. Kal. Septemb. in monte Abirinesburg. Anno Dominicæ incarnat. DCCCCXII. Indictione XIII. anno I. regni Chunradi gloriſſimi regis. Actum ad Triburiam palatio regio, feliciter, Amen.

*Præceptum Ottonis I. Imp. de mercato
in Wezenloch.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina auxiliante clementia Imperator Auguſtus. Noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm futurorum industria, qualiter nos ob mercedem retributionis divinæ, interventu dilectæ conjugis noſtræ Adelheidæ, venerabili abbati Gerbodoni fideli noſtro

nostro, qui cœnobio sancti Nazarii in Lauresham præesse videtur, in quadam ejusdem cœnobii villa Wezinloch nominata, in comitatu Cunradi Comitis, mercatum * publicum fieri concessimus; & quicquid in thelonei lucris, vel alia aliqua utilitate exinde proveniturum esse videtur, ad servitium sancti Michaelis in Abramesberg, seu sancti Nazarii in Lauresham, Imperatoriæ nostræ largitatis munificentia donavimus. Et ut hoc auctoritatis nostræ donum sive præceptum stabile ac inconcussum permaneat, hanc cartam conscribi & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum domini Ottonis magni & invictissimi Imperatoris Augusti. Luidolfus cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovi. Data 11. Non. Maii, anno incarnationis Dominicæ DCCCCLXV. Indictione VIII, anno regni domini Ottonis XXX, Imperii verò IIII. Actum Herleslein palatio, in Dei nomine feliciter, Amen.

i. forum
markt.

Confirmatio immunitatis monasterii S. Michaelis.

IN nomine sanctæ & individuae Trinitatis. Henricus secundus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si venerabilia ecclesiarum Dei loca alicuius commodi utilitate ad laudem Dei stabilire, confirmare ac sublimare studuerimus; nobis id ad animæ remedium, regni que nostri statum profuturum esse minimè dubitamus. Quapropter noverit omnium Christi fidelium nostrorumque universas, qualiter Reginbaldus Laureshamensis ecclesiæ venerabilis abbas nostram adiens serenitatem omni à nobis studio postulavit, quatenus sub nostræ confirmationis atque immunitatis auctoritate liceret sibi sub sancti Michaelis archangeli & omnium supernorum civium honore monasterium ordinare in monte sancti Abrahamæ pretitulato nomine, sito in pago Lobotengowe, in comitatu verò Heinrici Comitis. Rogavit etiam nos eidem monasterio confirmare, ad usum fratrum ibidem sub regula sancti Benedicti servientium, loca cum pertinentiis suis his nominibus designata: Furde, Eressam, Wezenloch, in Wibelinga IIII. mansos, Scrizesheim, in Paphenhoven unam ecclesiam cum IIII. mansis in Pergeheim VIII. mansos, in Niwenheim VIIII. mansos in Hanscuesheim VII. mansos, in Cilulfesheim II. mansos. Cuius petitioni quia rationabilis atque religioni dedicata videbatur, aurem libentissimè accommodavimus, atque eidem ecclesiæ ab ipso concessa per hanc nostram Imperialem paginam concedimus atque confirmavimus. Interdicendo itaque

interdicimus, ut nullus posthinc abbas eidem monasterio de præ-nominatis locis aliquid auferre & ad suos usus conferre, sive alicui militi in beneficium dare præsumat. Si autem hoc (quod absit) fecerit, Dei omnipotentis offensam, & sancti Michaelis archangeli omninumque supernorum civium inprimis incurrat, & ut banni nostri transgressor auri optimi libras centum ad Cameram nostram persolvat. Et ut hæc nostræ ingenuitatis auctoritas stabilis & inconvulsa omni posthinc permaneat tempore, hoc præceptum inde conscriptum manu propria confirmantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri, Signum domini Heinrici Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti. Gualterus cancellarius vice Aribonis archicancellarii recognovi. Data Idus Decemb. Indi-ct. VI. anno Dominicæ incarnationis MXXIII. anno verò domini Heinrici secundi regnantis, XXIII. Imperii autem X. Actum in Triburia regia villa.

Venerabilis quoque abbas Vgo præfatum monasterium sua donatione sublimavit, & hoc modo confirmavit.

VGo Dei gratia abbas Laureshamensis. Sanctæ Dei ecclesiæ profectui tanto diligentius procurare debemus, quanto in cœlesti curia excelsius sublimari cupimus. Ecce in Hanscuesheim ob æternæ retributionis mercedem jura constitutionum quæ ad nostrum servitium pertinent, sine ulla interdictione, fratrum nostrorum petitione, in præsentia primatum nostrorum ad servitium sancti Michaelis archangeli constituimus, quatenus inibi regularem disciplinam juxta fratrum sancti Nazarii consuetudines eiusdemque loci constitutiones ad plenum firmaremus. Et ne hanc constitutionem successorum nostrorum iniustitia vel inclementia subvertat, hanc cartam fecimus scribi & legaliter confirmari. Anno autem incarnationis Dominicæ MXXVI, Indi-ct. VII. regnante Imp. Heinrico II. acta sunt hæc feliciter, Amen.

De montis Abrinsberg fundatione & dotatione per Anselmum abb.

NOtum esse volumus omnibus in Christo fidelibus tam præ-sentibus quàm futuris, qualiter ego Anselmus Dei gratia Laureshamensis ecclesiæ abbas, cum communi fratrum & ministeria-

ministerialium, cæterorumque amicorum nostrorum consilio & auxilio cellam novam in monte Abrinsberg, scilicet in ecclesia sancti Stephani protomartyris ab Arnolde præposito prius fundata construximus, & quomodo fratribus ibidem Deo famulantibus stipendia circumquaque accumulavimus & quam partem montis & ejus silvæ eidem monasterio deputavimus. In præsentia enim Bertolfi advocati senioris & totius familiæ in Hantschuesheim nos concedebamus, & confirmatione banni & incesione populi terminum ejusdem loci hoc modo prætitulavimus. Ab origine fontis qui dicitur Heiminisbach, per callem ad utriusque montis medietatem pæne dirigentem summum: à summo usque deorsum in annem qui vocatur Dagrishbach*, & exinde quia via publica circumflectitur usque ad collem qui dicitur Hohenbuhel, & sic in ascensum ejusdem collis per illum locum qui cognominatur Lar, per latera montis usque ad vineam quæ vocatur Busendal, & ita in ascensum per summitatem ejusdem vineæ usque ad originem prioris fontis, id est Heiminisbach tendit. In hac verò determinatione disposuimus cum Tietperto monacho, & Gerlacho converso cæterisque fratribus, tunc tempore ibidem degentibus, ut in radice montis vinearum jugera metiremur, ea videlicet ratione, ut quot jugera tot solidi prelato ecclesiæ in festo sancti Remigii persolverentur. Sed quoniam ad cameram nostram mons totus & silva pertinuit, decimationem vinearum sive frugum aliarum absque omni contradictione clericorum vel laicorum ad eandem ecclesiam præsentari constituimus. Interdiximus etiam quod nullus hominum, sive majoris sit natu, sive minoris, audeat in determinatione illa quicquam sibi usurpare, neque in terra neque in vineis, neque in arboribus, neque in lapidibus, neque in ulla utilitatis causa, præter hoc quod à magistro loci vel à fratribus hereditario jure possit appetere. Ad confirmandam autem hanc institutionem & ecclesiæ nostræ honorem fecimus hanc cartam conscribi & sigilli nostri impressione insigniri. Et ut posteris nostris fidelibus firmiter & stabilius videatur, domini nostri Heinrici Imperatoris clementiam imploravimus, ut in defensionem potentia suæ eandem cellam susciperet, & omnia quæ vel à nobis concessa vel adepta, sive ab aliis fidelibus acquirenda, singulas donationes in suis locis prænotatas, propria manu, regnique banno & sigilli ejus munitione coram principibus confirmaret. Si quis autem hæc annihilare, vel sibimet quicquam sibi usurpare, vel minuere studuerit,

* Hod.
Darspach.

iram

iram Dei & omnium sanctorum se habere sciat, pro præsumptione autem dilecti imperando dijudicamus, ut si liber est, x. talenta; si ministerialis, v. talenta; si ex familia, totam substantiam ad cameram nostram persolvat. Nomina testium hæc sunt: de monachis, Geroldus, Berengerus, Hartmannus, Godebertus, Libelinus, Zundeboldus, Trutwinus, Tietbertus. De militibus, Bertholfus Comes, Gerhardus, Rifridus, Gerlacus, Ernost. de servientibus, Heribertus, Salemannus, Tietericus, Hildebertus, Arnoldus, de familia, Willo, Haimo, Razecho, & alii quamplurimi. Anno Dominicæ incarnationis M X C IIII. Indictione II. regnante Heinricho III. Imp. sunt hæc acta, & in monte Abrinsberg conscripta feliciter, Amen.

*Eiusdem Anshelmi donatio pensionum ad
idem monasterium.*

NOtum sit omnibus in Christo fidelibus, qualiter ego Anshelmus sanctæ Laureshamensi ecclesiæ licet indignus abbas, cum Zundeboldo præposito Abirinesbergenfi, manu advocati Berthofi aream & vineas in Sciezeshaim hobariis atque curtariis, præter ea quæ jam in servitio habuerunt, sub annua & determinata pensione jure hereditario contradidi, eisque concessi; ut cum aliquis hobariorum obierit, heres ejus tantum quinque solidos Wormatiensis monetæ supradicti loci præpositio, & unciam ejus villico tribuat, ac hereditatem suam possideat. Persolvere autem debent hobarii unam carradam vini & XXX. malter filiginis; curtarii verò IIII. amas vini, & XX. malter filiginis. nostræ autem constitutionis novi heredes XXV. urnas vini, XV III. malter filiginis & unum tritici, quæ simul sunt duæ carradæ vini & dimidia, malder L X XI. Præterea hobarii solvunt villico præpositi in festo sancti Martini VI. uncias, & de molendinis solvuntur VI. uncias. Porrò in Hetenesheim & in Cilolvesheim persolvuntur LXV. malder tritici: sed VIII. malder tritici in Cilolvesheim dedimus in concambium pro molendino in Sciezeshaim, quod pertinebat ad Aldenmunster. In Wibelingen de area & de vineis in festo sancti Lucæ persolvuntur L III. malder tritici: De tribus mansis XXX. malder tritici, ex aliis autem bonis XXIV. malder tritici. quæ simul sunt CVI. malder tritici in Wibelingen. In Nivenheim solvuntur XV. malter tritici, XVIII. filiginis. De Rorbach

bach solvuntur XXXVI. malder filiginis, II. malder leguminum, & X. unciæ. De Etingen in festo sancti Remigii I. libra argenti. De Wezenloch in festo sancti Remigii persolvuntur duo talenta & dimidium de curtibus: in festo autem sancti Martini & in Pascha de hubaris tria talenta persolvenda sunt. De monte autem ubi argentum foditur I. marca, & de mercato XX. marcæ. De molendino verò XXVI. malder tritici. In festo S. Martini de Blankestat persolvitur census VI. unciæ & dimidia. In festo sancti Remigii persolvitur census de Bergeheim XXXIII. unciæ in Pascha ibidem XXXI. unciæ. De Hanscuesheim in festo sancti Remigii hic census persolvitur: de XII. hobariis pro servitio & reditu solvuntur VIII. libræ: de dimidiis verò hobariis & molendinariis & aliis curtariis VIII. talenta & XIII. solidi, carrada quoque vini & duæ urnæ: item in festo sancti Martini persolvuntur VIII. unciæ præter III. denarios. Ipso die de Etingen VIII. unciæ. Summa igitur totius census est LIII. talenta, V. unciæ & VI. denarii: filiginis LXXXVIII. malder; vini III. carradæ & dimidia & duæ urnæ.

*Nota ar-
genti fodi-
nas.*

Item descriptio hubarum & pensonum ad curiam Furde pertinentium. In vico Columbach sunt XI. hubæ, quorum X. quælibet annuatim persolvit in festo sancti Michaelis XV. nummos, in festo verò sancti Martini de singulis solvuntur XX. denarii, itemque X. ova & unus pullus in pascha: undecima verò huba villicationi adinet, quatenus inde VIII. parapsides, VIII. staupi*, unum mortarium in natali Domini, XL. quoque scutellæ in Pascha fratribus à villico ministrentur. In Crumbenbach X. hubæ singulæ solventes XV. denarios in festo sancti Michaelis, X. ova & unum pullum in Pascha. Item mansus unus persolvens XII. denarios in die sancti Martini. In Branbach superiori III. hubæ singulæ den. XV. in die S. Michaelis, in Pascha X. ova & pullum. In inferiori Branbach III. mansi persolvunt villico II. uncias. In vico Wisgoz VII. hubæ singulæ solventes XV. denarios in festo S. Michaelis, in Pascha X. ova & unum pullum. In Krechlenbach VII. hubæ solvunt singulæ XI. denarios in festo S. Michaelis, in Pascha X. ova & pullum. Ad Varenbach VI. hubæ singulæ XX. denarios in festo S. Michaelis, in Pascha X. ova & pullum. Ad Furden XI. hubæ singulæ solventes XXX. nummos in festo S. Michaelis, in Pascha X. ova & pullum insuper XI. camifilia, quorum unum villico assignatur. In vico Aldenlehter III. hubæ singulæ V. den. in festo S. Michaelis, in Pascha X. ova & pullum. Redemptio verò operum quæ ex

i. scyphi.

Hunc lo-
cum allegat.
Fr. Pithæus,
in notis ad
leg. Salic.
pag. 135.

his hubis principali curiæ in Furden tribus in anno mensibus, videlicet Februario, Maio & Septembri jure exhibentur, talis est: In Varenbach VI. hubæ solvunt his singulis mensibus singulæ VI. den. in Furde XI. hubæ singulæ 111. den. in Crumbenbach X. hubæ duæ simul 111. denarios. in Branbach 111. hubæ similiter. in Wisgoz VII. hubæ similiter. in inferiori Branbach 1111. hubæ 1111. denarios. in Creklenbach VIII. hubæ singula 1. den. in Aldenlether 1111. hubæ similiter. Duæ vero partes omnium decimarum ad ecclesiam Furde aspicientium sunt in manu præpositi præter salicas decimas *, quæ respiciunt Laurensem portarium, & præter decimas in Erlebach, quæ ad villicationem in Furde pertinent: ex quibus idem villicus fratribus in Abrinsberg uno anno caldariam, altero patellam in festo omnium Sanctorum exhibeat. Hæc quoque ad villicationem pertinent, videlicet anno decimale fœnum in Colunbach, Wisgoz, Branbach, Steinbach, Aldenlether. item molendinum in Wisgoz, solvens duos solidos, cum huba sua quæ solvit XV. den. & tota ipsius hubæ decima. Item in Branbach 11. uncia, in Aldenlether 11. solidi cum huba. Item capitales census familiæ ad Furdon pertinentis, & si quid in suppellectili morientium solidum aut minus valet: nam quæ maioris pretii sunt, Præposito deputantur. In hereditatum quoque susceptione de V. solidis villicus accipit unciam, de XXX. denariis X. denarios. Item molendinum in Varenbach solvens XXXIII. denarios, & 1111. mansi qui conjunguntur, solvunt 1111. solidos, & areola una 111. den. Item in Furde 11. solidos, item ibidem XVIII. denarios. Bubo ex duobus mansis & prato quod dicitur Rutbrehtesbruel, & de una Biunda XXX. denarios, & de molendino in Furden V. uncias solvere debet.

Aliæ quoque possessiones & villulæ, videlicet Ezzilsbach, Erfam, Ramesonna ad idem monasterium pertinent, Wezzenloch quoque, cum aliis quæ memoriæ non occurrunt.

Confirmatio præcedentium auctoritate Henrici III. Imp.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clemētia Romanorum Imp. Augustus. Notum sit omnibus Christi nostrisq; fidelibus tam futuris quàm præsetibus, qualiter quidam abbas Laurissensis nomine Anshelmus quandam cellam in monte

monte Ebrensberg in honore Dei & S. Stephani construxit, & quibus potuit bonis ditavit, donans videlicet in villa quæ dicitur Leimheim novem jugera vinearum, in villa quæ dicitur Rorbach quinque jugera vinearum, in villa quæ dicitur Bergeheim tria jugera vinearum, in villa quæ dicitur Niwenheim VI. jugera vinearum, in villa quæ vocatur Hanfcuhesheim XX. jugera vinearum, in villa quæ dicitur Dossenheim VI. jugera vinearum, in villa quæ dicitur Sahffenhusen duo jugera vinearum, in villa quæ vocatur Wininheim novem jugera vinearum, in villa quæ vocatur Bertholdesheim xx. hubæ, in villa quæ vocatur Vlvésheim III. hobæ, in villa quæ vocatur Etingū III. hubæ, in villa quæ vocatur Hécuhesheim V. hobæ, in villa quæ vocatur Hetenesheim III. hobæ, in villa Wibelingen una hoba, in Strazheim una, in Leimheim una, in Gnessa una, in Cunigga una, in Butinga una, in Winenheim una, in Sahffenheim VI. hobæ. Quam nos cellam ut defensionem susciperemus, rogavit; sed antequam hoc fieret, viam universæ carnis intravit. Quo defuncto successor illius abbas Geroldus similiter nostram clementiam adiit, & pro eadem cella in nostram tutelam suscipienda rogavit. Cuius petitioni acquiescentes, pro amore Dei, & remedio animæ nostræ & avi nostri Cunradi, & patris nostri Heinrici Imperatoris, & aviæ nostræ Gisilæ, & conjugis nostræ Berthæ Imperatricis, pro stabilitate regni & imperii nostri, ac filii nostri regis Heinrici, ac petitione regni Principum, videlicet Brunonis Treverensis, Friderici Colonienfis archiepiscoporum, Johannis Spirensis, Burchardi Monasteriensis, Adelberonis Metensis, Albuini Merseburgensis, Cunonis Argentinensis episcoporum, Stephani Wizeburgensis abbatis, Friderici, Sigefridi Palatinorum Comitum, & aliorum fidelium nostrorum, prædictam cellam cum universis bonis quæ jam acquisita sunt vel acquirenda sunt, cum omnibus appenditiis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, agris, vineis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, exitibus & redditibus, viis & inviis, quæ sitis & inquirendis, ac cum omni utilitate quæ vel dici vel nominari poterit, in nostræ defensionis mundiburdium suscepimus, ea ratione ut nullus successorum nostrorum Imperator vel Rex, Episcopus vel abbas, Dux vel Marchio, vel Comes, vel aliqua persona magna vel parva, hanc eandem cellam in aliquo molestare vel inquietare, vel inde aliquid auferre præsumat: sed monachi ibidem

Deo serviētes bonis præfatis quæsitis vel inquirendis liberē utātur;
 Et ut hæc nostræ defensionis munitio firma & incōvulsa omni ævo
 permaneat, hanc cartam inde conscriptam, & (ut infra videtur)
 propria manu nostra corroboratam, sigilli nostri impressione iussi-
 mus insigniri: Signum Domini Heinrici tertii Romanorum Imper-
 atoris invictissimi. Actum r i r i. Non. Martii. Anno ab incarna-
 natione Domini MCIII. Indictione XI. regnante Heinrico tertio
 Romanorum Imp. Augusto anno x l i x. imperante autem xviii.
 Actum Spiræ in Christi nomine ad salutiferam memoriam Hein-
 ricus tertii Romanorum Imp. Augusti, feliciter, Amen.

*Commutatio inter fratres Laurishamenses,
 & fratres S. Stephani.*

SCiāt universitas Christi fidelium tam præsentium quàm futu-
 rorum qualiter ego Diemo Laureshamensis Dei gratia abbas,
 quorundam consilio & generali fratrum nostrorum consensu,
 quandam rerum nostrarum commutationem fecimus, quæ utilior
 videbatur & nobis & ecclesiæ nostræ & fratribus. Majoris igitur
 ecclesiæ fratres, scilicet Lauresham, vineam dederunt quam in
 villa Hanscuesheim habebant, illam scilicet quæ vulgo vocatur
 Dalwingart, quæ etiam per manus eiusdem villæ villici colebatur,
 & in servitium eorundem fratrum impendebatur. E contrario
 fratres minoris Ecclesiæ, quæ vocatur Abrinsberg, ad sanctum
 Stephanum, V. hubas in villa Sahssenheim maiore reddiderunt,
 xv i. videlicet uncias persolventes, quas dominus Anshelmus piæ
 memoriæ abbas ex proprio suo exemit & eidem ecclesiæ pro anima
 sua contradidit. Hoc autem coram Domino testificamur, quod
 prædicta vinea quando tradebatur, in tantum fuerat annihilata &
 devastata, ut nec dimidia ama vini posset inde extorqueri. Ad hoc
 etiam ne fratres nostri defectum præbendæ sentiant, & ne villici
 quiddam querimoniæ amplius inferant, decimationis partem ex
 justitia nostra in monte qui cognominatus est Mulenberg, addidi-
 mus: quæ singulis annis quando minus est, plusquã carradam, quan-
 do autem maius, plusquam duas vel etiam tres persolvit. Quoniam
 verò decimatio ejusdem vineæ ab antecessore nostro Geroldo
 abbate fratribus, qui etiam sunt in Abrinsberg in superiori mona-
 sterio prius beneficiata fuerat, ex alia quæ ad mensam nostram ad-
 huc pertinet vinea, scilicet Butenstal, decimationem simili modo
 concambi-

concambitam cum eisdem fratribus assensu eorum benigno extorquebamus, & ita omnia in vnum contracta prænominatis fratribus (ut dictum est) dono donavimus. Vt hæc autem commutatio firma sit & inconvulsa, primum confirmata est coram fratribus in Capitulo, deinde apud præfatam villam Hantscuhesheim coram Advocato & universâ familia in placito. Et quia commune fratrum fuerat consilium, & ex utraque parte utilitas, placuit eandem confirmationem litteris per ordinem conscribi, & sigillo sancti Nazarii insigniri. Huius vero rei testes sunt Diemo abbas, & de monachis Diemo camerarius, Wezel præpositus, Burkardus decanus, Erinbertus portarius, Marquardus, Gerlach, Diemarus, Ludewicus ceterique per ordinem. De laicis autem Cunradus advocatus. De serviëntibus Arnoldus, Rumhardus, Gernod, Hartbertus. De familia Hildebertus, Marcolfus, Anshelmus, Ebbo, Reginbodo, item Marcolfus, Hildibertus, Bobbo, Diepoldus, & alii plures. Acta sunt autem anno Dominicæ incarnat. MCXXX. regnante Lothario Romanorum Imperatore Augusto. Marquardus solo nomine monachus scripsit hæc feliciter, Amen.

Privilegium ALEXANDRI Papæ III.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Sigehardo abbati monasterii sancti Nazarii Laurishamensi, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens illud à nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos deest libenti concedere & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii nostri justis postulationibus elementer annuimus, & præfatam monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communitus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum domini & beati Benedicti regulam in vestro monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata

permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo præscriptum monasterium constructum est cum omnibus pertinentiis suis, vetus monasterium cum pertinentiis suis, Abrinesberg cum pertinentiis suis, Michelstat cum pertinentiis suis, Capellam cum pertinentiis suis. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumtibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omninò à vobis decimas vel primitias exigere præsumat. Liceat quoque vobis clericos & laicos è seculo fugientes, liberos, & absolutos recipere ad conversionem, & in vestro monasterio absque contradictione qualibet retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit de eodem loco absque licentia abbatis sui nisi obtentu artioris religionis discedere: discedentem verò sine communi litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis interdictis & excommunicatis, subpressa voce divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sunt nullus obsistat: salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumunt. Adhæc vobis ex benignitate sedis Apostolicæ indulgemus, ut sine damno vicinarum Ecclesiarum cellas in locis vestris, vel oratoria construendi cum assensu diocesani Episcopi licentiam habeatis. Prohibemus insuper, ne tu fili Abbas, vel alius, possessiones, decimas, oblationes, seu alia bona ipsius monasterii ad mensam abbatis sive ad victualia fratrum, justitias obœdientiarum, aut ad præposituras pertinentia inbeneficiare, vendere, locare, vel alio modo quolibet sine communi fratrum consensu vel majoris & sanioris partis alienare præsumat: quod si factum fuerit, juribus carere sancimus. Præposituras cellarum vestrarum & obœdientias monasterii tantum monachis capituli vestri sapientibus viris, salvis earum rebus, statuimus committendas. Advocatis etiam ipsius monasterii sub interminatione anathematis prohibemus, ne cuiquam liceat in possessionibus ipsius monasterii castella vel munitiones alias construere, familiamque sive colonos ecclesiæ novis & indebitis exactionibus fatigare, vel Abbati in justitiis ecclesiæ requirendis seu obtinendis ausu temerario contraire. Obeunte verò te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quo-

quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendam. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supradictum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra & illibata seruentur eorum quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicæ auctoritate, sub cujus jure & patrocinio consistunt. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Ego Alexander Catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi. Ego Hubaldus Hostiensis episcopus. Ego Cunradus Salzburgenfis ecclesiæ humilis minister & Sabinensis episcopus, &c. Data Lateranis per manum Alberti S. Romanæ ecclesiæ presbyteri Cardinalis & Cancellarii VII. Idus April. Indictione XII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIX. Pontificatus verò domini Alexandri Papæ III, anno ejus XX.

DE SYLVA OTTONICA HOC

Documentum adiciere visum.

Donatio Henrici II. Imp. de banno forastis in Otenevvalt.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Si nostræ pietatis aurem maximè in ecclesiasticis rebus augendis præbemus petitionibus nostrorum fidelium, divinæ pietatis super nos respectum magis inde credimus affuturum, eosque circa nos sagaciores serviendo efficiamus ac devotiores.

devotiores. Quapropter omnium tam præsentium quam futuro-
rum noſcat industria, quod Bobbo ſancti Laureſhamenſis cœnobii
venerabilis abbas noſtræ celſitudinis adiit culmen, ſibi ſuæque
eccleſiæ in honore ſanctorum martyrum conſecrata Naboris &
Nazarii, exorans foreſtem bannamque ſilvarum concedi. Cui
pium præbentes aſſenſum, foreſtem cum banno conceſſimus, ab
Aquilone in Cunthichun tendentem, & inde ſurſum in longitudi-
ne in Orientalem ſcilicet plagam per medium ſaltum Nobbenhu-
ſon dictum, & inde ſe habentem ad rivum qui dicitur Branbach,
uſque ad arborem Lachbuocha* dictam, inde verò in meridianam
plagam ad Lutram, atque inde deorſum uſque in fluvium
Nekar dictum. inde autem uſque ad villam Niwenheim, hinc
verò deorſum ad villam Bikinbach dictam, iſtinc autem ad aliam
villam Richinbach vocatam, & ſic quidam per deorſum uſque ad
locum Cunthichun primitus dictum; eo rationis tenore, ut ipſe
prædictus abbas ſibiſque ſuccedentes in perpetuum habeant atque
poſſideant, nulluſque in ea ſine ipſius licentia venandi aut capien-
di aliquid poteſtatem habeat. Hæc ergo quo firmius atque incon-
vulſius per futura tempora poſſint perſiſtere, propria manu fir-
mantes inſigniri juſſimus ſigilli noſtri impreſſione. Signum domi-
ni ſecundi Heinrichi Regis invictiſſimi. Guntherius cancellarius
vice Erchambaldi archicapellani recognovi. Data III. Id.
Maii. Indiēt. X. anno Dominicæ incarnationis M X II. anno
verò domni ſecundi Heinrichi regnantis X. Actum Bauenberg
feliciter, Amen.

Item de terminis ejusdem foræſtis.

SI quis verò ſcire deſiderat evidentius, quorſum tendat foreſtis
bannus in ſilva Ottenewalt, Laureſhamenſi eccleſiæ regia au-
ctoritate conceſſus; ſubdeterminata loca vallium, montium, ſal-
tuum, rivulorum, fluminum, arborum diligenter conſideret. Tenet
namq; bannū in loco qui dicitur Getwinc, inde ad montē Malſcū, in-
de extenditur ad Velisberg, deinde ad Betenkiricha, poſtea ad Lud-
dera. Deinde ad Wintercaſto, dehinc in Lutenhaha, inde in Eber-
bach, poſt in Gaſpèza, inde in Abbatisbach. Deinde ultra Cuninges,
bach, poſt in Birkunhart, tunc in Kincicha. Deinde ultra fluvium
Mininingaha; poſt in Widelabach. Deinde in Branbach, tunc in
Aranbach, inde in Wallendenbrunno, Deinde ad magnam quer-
cum, deinde per deſcenſum Bremaha, per Wilonobach aſcenſum,
& per

*i. ſagi ter-
animalis.*

& per destructam Willonoburg. Inde in fluuium Entëraha, tunc per ejus descensum in flumen Nekar. inde per descensum Nekar usque Nuinheim. Inde in plateam montium*, & per hanc usque ad supradictum locum Getwinc. Quisquis igitur in his locis vel infra hos terminos quippiam venationis seu piscationis absque licentia Laureshamensis abbatis exercere præsumerit, sciat se ipsi Abbati compositurum Imperialem bannum.

Hodie
Bergstraß
se.

DE HEIDELBERGA

& vicino agro,
JOHANNIS BASILII HEROLDI

Observatio

*E libro, De stationib. legionum in veteri
Germania, cap. XII.*

Mercurium inter deos, Germanos præcipuè coluisse novimus, eique nomen illud quo divinam bonitatem effamur, indiderunt, Sūt sive Gott illum appellantes: silvæ quoque Martianæ eam partem eidem dedicarunt, quam hodie Sūdentswald sive Odentswald dicimus. Ipsum verò Deum absque ulla specie earum rerum quæ videntur, in secreto colebant, persuasi reverentia quadam loci, & mentis oculis ipsum videri: quod quidem apud primos Germanos, veri Dei verum cultum repræsentabat. Ob id quoque religio locum illum adeò nobilitarat, ut mons in quo illi à Druyde operabatur, der Hensigeberg (quod nomen adhuc retinet) diceretur. Extat autem locus ille sacer, specu horrendo tremendus, Heydelbergæ oppositus. At majores nostri, qui armis Romanorumque potentia cesserant, sive Imperatorum quorundam benevolentia devincti, & ritus & sacra externa quoque nonnullis in locis recipiebant. Erat, de quo supra disseruimus, Antoninorum temporibus Iulianus Didius, vir Consularis, qui quidem sub Pio Evocatorum ordines ducebat. Bello verò quod cum Marcomannis à Pio susceptum erat, exercitus Rom. in acie jam procinctus & paratus, morbo, vulneribus, ardore Solis & siti divexabatur, adeò ut ipse Imperator magna sollicitudine distraheretur: cum Legio XII. (quæ ex eventu *Fulminatrix* postea dicta fuit) Christianis sacris imbuta, precibus suis magnum Dei Opt. Max.

B b beneficium

beneficium impetraret, tempestatem scilicet ac aëris horrendam perturbationem, in qua ad sitim extinguendam imbres vehementissimi Romanis effundebantur, fulmina verò horrenda & tonitrua deferebātur in hostē. His parta victoria. Qui persuasioni Christianę aduersabantur, ii rem tantam Mercurio tribuebant, ac exoratum ab Arnulpho quodam Ægyptio pluuiam demisisse. Quapropter in periculo constitui, cum permulti (ut fieri solet) superum auxilia votis interpellarent; Didius huic Mercurio, quem à vicinioribus Germanis colere didicisset, quod tum voverat, eo in loco signum posuit, quo reverentia maxima & plurimum colebatur Deus. Signi verò positi monumentum adhuc extat, insertum parieti spectanti ad occidentem, in æde quam nunc vocant *Omnium Sanctorum*, in ipso monte de quo antea diximus. Quæque adhuc legi ex eo possunt, ita se habent:

MERCVRIO.
BASEM CVM SIGNO
IVLIAN. DIDIVS
EVOCATORVM DVX
V, S. L. L. M.

Evocati autem, ut de iis nonnihil dicam, à Dione lib. LV. ita describuntur: *Batavorum equitum exprimere nequeo numerum, neque evocatorum: hi enim ingruente vi majori, tumultu deligi solent. Horum opera uti cœpit Augustus, secundo contra Antonium bello. Erant autem milites qui sub patre ejus C. Iul. Cæs. meruerant. hos etiam deinde alere cœpit. ordines habebant à cæteris distinctos. omnes quoque more Centurionum, cum vitibus incedebant.* Hæc ille. In sequentibus annis in ordinem Evocatorum recipiebantur Equestris ordinis juvenes, qui circa Principē excubias agebant, loco militum, aut qui ex nobilioribus in Provinciis urgente hoste, tumultuario conscribebantur, sive qui beneficio Principis in militiam legebantur; quibus homines sago & toga clariores, item fortitudine aut gratia apud Principes valentissimi præficiabantur. Talis erat Iulianus hic noster, qui deinde Principis jussu, & sanctè & diu hanc regionem rexit, præfectus scilicet Legioni XXII Antoninianæ. Quo tempore & ædiculam illam quæ superest, extruxisse eum puto: quam cum Romani *Sacellum* vocarent, nostri ut in hisce vocabulis fieri assolet, *Zum Capelle* dixerunt, deinde Romani iterum in *Capellatium* detorserunt. Antoninus interim Philosophus in Sarmatas exercitum parabat. Iulianus juris studio clarus, & sacrorum avitorum observantior, sub monte Mercurio sacro, Prætorium

Prætorium ædificat (solebant autem Romanis *Palatia* dici, ubicunque mansio five domus Imperatoris aut Præfecti erat) cuius vestigia amplissima, & ædificia vetustissima visuntur eo in loco, ubi nunc nescio cuius localitatis * domus magnificæ extant. Ab incolis igitur, quod in plano exstructum erat, ædificium *Die Palatz* dicebatur, quod deinde in *Wfalz* commutatum fuit. Id quidem *Ammanium* minimè fugit. ejus enim verba sunt: *Ad regionem, cui Capellatii vel Palæ nomen est.* Per eos etenim c. annos, quæ Iuliani hujus I. & Iuliani II. Imperatoris tempora intercefferant, legionem Germaniam custodientium Prætorium Palatinum, hoc in loco perdurasse, consentaneum est. Vnde fœlici sydere Palatinatus jacta fundamenta fuisse prima, circa annum Christi CLXXVII, temporum certa ratione comprehendi est. Nomen quoque accessisse tractui illi, atque prærogativam, qua divina benignitate Principes nostri in hunc diem usque ornantur, ut sacrosancta potestate, à Principe, Præfecto Palatii nemo alius habeatur proximior,

*Benedicti-
norum.*

Hunc totum Heroldi locum carmine expressit Bernhardus Mollerus in Descriptione Rheni lib. II.

DE MANHEIMIO

Ex eodem lib. cap. XV.

Solebant equidem Romani, præcipuè iis in locis ubi fluviorum erant confluentes, ad tutandas res, propugnacula & munita erigere, eaque ad exornanda templa cultu & sacris religiosissima extruere. Hoc ipsum confirmant Iuliani & Annii Veri, in Cantstat ubi Rems Neccaro, in Manheym ubi Neccarus Rheno se infundunt, elogia reperta. qui quidem viri Consulares, ad Imperium ambo evecti sunt. At audiantur inscriptiones:

IN. H. DD. IOVI ET
IVNONI. REG. ET.
GENIO. LOCI. ET. GRI-
ONIS. S. R. AN. VER-
VS. MIL. LEG. XXII.
ANTONINIANÆ. BF.
COS. PRO. SVA ET:
SVOR,

IN. H. DD. IOVI ET
IVNONI. REG. ET.
GENIO. LOCI. ET. DD.
OMNIB. P. S. F.
DIDIVS. IVLIANVS.
LEG. VIII. AVG. AN-
TONINIANÆ. BF.
COS,

SVOR. DIV. ANTON.

COS. PRO. SAL. SVA
ET. SVOR. STAT.
ITERATO. POSVIT.
IMP. D. ANTON. AVG.
PII. ET VERI.

Legiones VIII. & XXII. cæteris in Germania prælatas fuisse, qui hujusmodi inscriptiones judicio aliquo considerant, Germaniam quoque Antoninorum præsentia & majestate exornatam, intelligunt. Pius siquidem, Philosophus, & nobis Germanis super omnes commodus hanc unam provinciam, dignam existimaverunt, in qua & multum viverent, & exercitum nobis conjunctissimum splendidissimumque alerent.

